INSTITUTIONES

JURIS CANONICI

Poitiers. — Typographie de A. Dupre.

INSTITUTIONES
JURIS CANONICI

QUAS IN SCHOLIS

PONT. SEM. ROM. ET COLL. URBANI

TRADIDIT

Clarissimus professor DE CAMILLIS.

TOMUS PRIMUS.

Logica Institutionum.
De personis.



PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM
Via vulgo dicta Delambre, 9

1868


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE

INSTITUTIONES JURIS CANONICI.

PROLEGOMENA.

§ I. DE NOTIONE JURIS GENERATIM INSPECTI.

I. In germana juris notione determinanda, ab etymo vocis ad rei denominatæ conceptum progrediemur. Licet enim aliud sit loqui de derivatione quoad nominis impositionem, aliud de ordine quoad causalitatem, hæc duo tamen inter se non raro congruunt; imo signorum ordo ad rerum signatarum ordinem suapte natura perducit : « Initium doctrinæ, dixit Epictetus, est consideratio nominis. »

Porro vocis *jus* variæ solent assignari etymologiæ.

1° Prima est, ut jus dicatur a *jussu* seu *jubendo;* et in hoc sensu, a jurisconsultis magis recepto, illud vocabulum idem prorsus dicit ac imperium, seu jussum. Juxta hanc etymologiam, aliis omnibus certe planiorem, jus est id quod jussum est, nempe *lex.* Est ergo id quod vel Deus, vel natura, vel princeps, vel populus, vel consuetudo jubet.

2° Secunda derivatio est, ut jus, sicut dixit Ulpianus, a *justitia* denominetur, vel tanquam objectum ab ipso actu, uti, v. g., scibile dicitur a scientia, vel tanquam ars aut disciplina a suo fine. Juxta S. Isidorum, jus per syncopen a voce *justum* immediate efformaretur.

Justum vero dupliciter accipitur : 1° generatim, ita

ut idem sit ac *legitimum*, seu rectæ rationi et legi consonum : et illud justum dividitur in *naturale*, quod est consonum naturali rationi, et *legale*, quod lege humana constituitur. 2° Accipitur justum specialiter ac stricte pro eo quod est æquum, sive *æquale et alteri debitum :* et, ut sic, est objectum justitiæ.

3° Jus tanquam nomen primigenium, seu radicem justi et justitiæ habent nonnulli jurisconsulti, in quorum sententia, juris ratio a justo et justitia minime repetenda esset, sed e contrario justitia ipsa per jus definiretur : jus, utpote objectum justitiæ, ipsa justitia antiquius est. Hæc tamen interpretatio præcedenti restricte non opponitur, quandoquidem, ut animadvertit Suarez (in suo tractatu de legibus), justitia a jure derivat in ratione objecti, ac subinde in genere causæ finalis, licet justitia sit causa efficiens sui objecti seu juris.

II. Verum hisce derivationibus vocis jus, quam communiter tradunt jurisconsulti, alia addi potest, quæ ad rationem ontologicam, et quidem primariam, juris nos perducit. In vernaculis enim linguis, jus (*diritto, droit, drecho, drigt,* etc.) a verbo latino *dirigere* venit, et exinde primitus directionem seu ordinationem rectam ad finem præstitutum significare videtur.

Sed cum omnes particulares fines, quos recte prosequuntur entia creata, ad finem ultimum referri debent, fit ut hic finis sit suprema et ultima regula cujusvis ordinationis rectæ, et exinde prima juris causa et ratio. Ergo jus primitus fundatur in ipsa essentiali rerum ordinatione ad finem ultimum , seu ad ipsum Deum : est enim prima ordinatio indicta a supremo rerum Conditore, seu actus divinæ voluntatis æternæ sapientiæ respondentis.

Et obligatio obsequendi hunc ordinem a voluntate divina impositum, importat in entibus ratione et libertate præditis, *facultatem moralem præstandi ea omnia quæ ordini stabilito sunt conformia*, seu jus subjective sumptum. « Merito igitur, ut apprime ait Titius (Proleg. in Puffendorf), jurisprudentia divina pro fundamento cujusvis jurisprudentiæ particularis habetur. »

III. Nomine juris venit etiam ars sive scientia jurium, id est, legum. Quemadmodum enim nomen medicinæ, v. g., initio impositum est ad significandum medicamentum, quod ad sanandum prodest: inde vero denominatione ab objecto ad habitum scientiæ translata, vox illa ad significandam ipsam artem adhibita fuit, ita jus, impositum ad significandum rectum aut justum, inde traductum est ad significandas leges et canones, quibus continetur, et ad denotandam ipsam artem, qua cognoscitur quid in actionibus hominum justum injustumve sit.

Et jus, sic acceptum, solet definiri: *ars boni et æqui*, seu aliis verbis et explicatius : *cognitio seu peritia præceptorum quæ docent quid justum vel injustum, quid æquum vel iniquum sit.*

§ II. DE VARIIS DIVISIONIBUS JURIS PRO LEGE ACCEPTI, SEU QUATENUS EST OBJECTUM JURISPRUDENTIÆ.

I. Jus sumptum pro objecto scientiæ multifariam dividetur, et quidem *primo* in jus naturale et jus positivum :

1° *Jus naturale* accipi potest in sensu lato vel in sensu strictiore : late sumptum, jus naturale est recta cujuslibet naturæ, activitate præditæ, directio ad finem præstitutum, seu ipsa propensio naturæ sensitivæ, quæ hominibus cum brutis animantibus communis est.

Et in hoc sensu definitur in Instit. (tit. 2) : « *Jus naturale est quod natura omnia animalia docuit.* Ita sat communiter jus naturale a veteribus jurisconsultis accipitur, qui illud distinguunt a *jure gentium*, quia primum commune est omnibus animantibus, dum alterum soli homini proprium est.

Verum in stricto sensu jus naturale nonnisi entia rationalia et libera afficit, et presse definitur : *illud jus, cujus obligatio non est libera alicujus præcipientis legislatoris voluntate oritur, sed ex ipsa rei præceptæ vel prohibitæ natura.* Et cum hæc natura sit immutabilis et eadem ubique, ideo jus naturale ubique et apud omnes gentes eamdem vim habet.

2° *Jus positivum* est illud quod, non ex rei natura, sed ex libera Dei vel hominis voluntate pendet et vim obtinet. Dicitur *positivum* quia a principe, non ex quadam necessitate atque intrinseca objecti exigentia, sed libere imponitur.

II. Jus positivum dividitur : 1° in *divinum* et *humanum*, prout a Deo, supremo legislatore, vel ab humana auctoritate procedit. Jus naturale certo respectu etiam divinum appellari potest, in quantum scilicet a Deo, tanquam auctore naturæ, mentibus humanis est inditum ; itaque jus positivum divinum, stricte sumptum, ea tantum quæ ad jus naturale non spectant, jubet.

2° Jus positivum humanum in jus gentium, civile et ecclesiasticum subdividi solet :

Jus gentium, cujus notio varie traditur ab auctoribus, haberi potest ut illud quo omnes gentes vel ferme omnes utuntur : a jurisconsultis dividi solet in primarium et secundarium.

Jus gentium *primarium* illud est quod naturalis ratio omnibus gentibus dictat, quodque a Deo mentibus hu-

manis naturaliter inditum est; et sic coincidet cum jure naturali. Jus *secundarium* dicitur, quod quidem ex ratione naturali proficiscitur; non tamen simpliciter et ab initio solo rationis instinctu notum est, tanquam lumen hominum menti inditum, et nobiscum natum, sed postea, humanis necessitatibus ita exigentibus, usu et moribus omnium, aut fere omnium gentium est introductum. Quapropter habetur ut species juris positivi.

Jus *civile* est illud quod auctoritate principis sæcularis proficiscitur, ad societatem civilem regendam intuitu boni temporalis consequendi. De *jure ecclesiastico*, ad societatem ecclesiasticam regendam constituto, disputare instituimus.

§ III. DE JURIS CANONICI, PROUT EST SCIENTIA, ORIGINE ET NATURA.

I. Ex pacto homines proxime, originaliter autem ex natura, in civilem societatem coalescunt. Posito facto revelationis, ecclesiastica societas, auctore Christo, constitit. Illa varias regiminis formas induit, ista semper una eademque remansit. Ad finem naturalem illa ordinata est, ista autem ad finem supernaturalem. Natura societatem civilem determinavit in genere; hinc varias regiminis formas passa est ista societas. Christus autem societatem christianam determinavit in specie; unde in ista unitas.

II. Duæ hæ societates per se αυτονομα sunt, scilicet independentes, et cum ad societatis autonomæ conceptum pertineat ut hæc suo proprio jure regatur, factum est ut utraque societas suum proprium jus habeat. Nostri instituti est de jure societatis ecclesiasticæ tractare.

III. Verum leges latæ ad hominum mores guber-

nandos facile constituunt objectum scientificum; nam cum conceptus legum clarissimus, spectatis circumstantiis omnibus in quibus feruntur, esse non potuisset, factum est ut eruditi viri eas explanare conati sunt, vel explicando, vel interpretando, vel vindicando, et effecerunt ut ex lege civili et canonica facultas quædam efformaretur. Hinc legum scientia enata est, quæ leges pro varietate temporum et locorum exponit.

IV. His generaliter prælibatis, paucis scientificam ecclesiasticarum legum evolutionem prosequemur.

Ex juris diversitate potissimum et ex formæ seu institutionis discrimine inter utriusque societatis leges, apparet differentia. Leges ecclesiasticæ initio paucæ fuerunt; deinde ob earumdem multitudinem collectiones et codices orti sunt. Hinc leges hujusmodi, viam patefacientes dubiis et interpretationibus, scientiæ nomen sibi vindicarunt : quælibet vero ars et scientia habet suam historiam.

Quoad jus canonicum, distingui potest : 1° ætas Patrum ab initio religionis christianæ ad sæculum XII^um^; 2° a sæculo XII° ad XVI^um^, ætas scholasticorum; 3° a sæculo XVI° ad nos usque, ætas restaurationis.

1° Ab initio, jus ecclesiasticum a sacra theologia distinctum non fuit. Theologia enim erat docens et quid credendum et quid agendum.

2° Demum factum est ut theologia circa dogmata, jus autem circa disciplinares leges versaretur : sæculo XII° Petrus Lombardus et Gratianus studiorum ecclesiasticorum regnum inter se, ut ita dicam, diviserunt. P. Lombardus fidei veritatibus illustrandis ac defendendis, Gratianus vero legibus Ecclesiæ colligendis, interpretandis ac vindicandis, summopere incubuere. Ita factum est ut Petrus Lombardus theologorum

quodam modo pater habitus fuerit, Gratianus vero canonistarum. Hinc theologi a canonistis divisi sunt. Theologis remansit ut fidei veritates docerent ac tuerentur, veritatesque morales conscientiis applicarent fidelium; canonistis vero relictum est ut in Ecclesiæ institutionibus, canonibus relegendis, interpretandis vindicandisque se exercerent.

Ita ergo scientia canonica non amplius spectata est uti pars theologiæ sive dogmaticæ, sive moralis, sed veluti disciplina singularis, præbens agendi normam juxta quam moralistæ debent conscientias dirigere, proponendo ecclesiasticas leges, quibus obtemperandis omnes subditi etiam in foro conscientiæ tenentur. Unde juristæ externum, moralistæ internum forum spectarunt.

Hac facta divisione theologos inter et moralistas, cum canonistis facile consociantur juris civilis periti ex ipsamet scientiarum analogia. Juris civilis est positivis legibus societatis civilis jura et officia civium determinare, quemadmodum juris canonici est positivis Ecclesiæ legibus, jura et officia christianorum determinare. Ita conjuncti sunt canonistæ cum juris civilis peritis, et cathedræ utriusque scientiæ in universitatibus institutæ sunt.

3° Ætate nostra novæ modificationes factæ sunt. Curatum est jus canonicum a theologia jam divisum in se iterum scindere. Nam circa medietatem elapsi sæculi prolata est scientifica methodus qua juris canonici scientia in duas scinditur partes, quarum una de *jure canonico publico* pertractat, de *privato* altera. Post varias controversias, demum fere ab omnibus hæc distinctio recepta est.

V. Verumtamen cum idem non sit apud omnes hujusce distinctionis inter publicum et privatum jus

sensus, oportet nunc istius distinctionis rationem declarare :

1° Alii ita distinguunt. Jus publicum dat officia et jura magistratuum ; jus privatum dat jura et officia populi. Verum hæc distinctio mera antilogia est ; princeps enim relationem dicit ad populum; ergo seorsim considerari nequeunt. Insuper jura sunt relativa ad officia, et proinde jus populi spectat ad officia principis, et vice versa. Ergo... non magis absonum esset unam scientiam anatomicam fingere quæ de solo capite tractaret, aliam de brachiis, aliam de pedibus, etc., nulla data de corpore integre spectato.

2° Alii datam distinctionem sic explicant. In ethica, determinato conceptu moralitatis, jura et officia omnia determinantur procedendo a cive vel principe. E contra in jure publico, determinata regiminis forma, determinantur jura et officia magistratus et populi. Sed, hoc concesso, determinari haud potest in hac sententia quodnam sit objectum juris canonici. Nam a jure canonico secernenda esset magistratuum doctrina, magistratuum sacramentum, generale negotium administrationis, quæ omnia fateri debent hujus sententiæ fautores ad publicum jus pertinere. Hoc posito, quid remaneret juri canonico vel privato ? Nihil, nisi disserere de Ecclesiæ præceptis, v. g., de audienda missa, etc. Atqui hæc omnia ad ethicam christianam spectant. Ergo in praxi non retinent distinctionem juris privati a jure publico, illo ipso momento quo eam adstruere conantur.

3° Alii, juxta hoc Justiniani (pars ultima, de Just. et Jure, tit. 1) : « hujus studii (scilicet juris civilis) duæ sunt positiones, publicum et privatum ; publicum ad statum rei romanæ pertinet, privatum ad singulorum utilitatem, » astruunt jus publicum Ecclesiæ esse

scientiam quæ statum rei christianæ determinat, jus autem canonicum esse complexionem jurium et officiorum singulorum christianorum. Asserunt enim statum reipublicæ inspici in ordine ad duo, videlicet ad generales relationes sociales quibus interna reipublicæ œconomia fulcitur; deinde ad relationes ejusdem societatis cum cæteris, unde externa positio nascitur : utrumque pertinet ad jus publicum. Jura autem et officia singulorum ex jure canonico determinantur.

Aliqua difficultas est in praxi pro hac sententia tuenda. Nam juxta eam jus cononicum deberet vel supponere, vel posthabere ea quæ spectant ad publicam Ecclesiæ œconomiam. At si a scientiis separemus ea quæ spectant ad generalem rei prospectum, tollitur scientiæ unitas. Ergo jus canonicum remanet inanis sine forma conceptus, positum in sola jurium ratione.

4° Demum Fr. Schmier procedit distinguendo jus in constitutum et constituens. Primum determinat potestates legis faciendæ, alterum jura et officia juxta leges jam latas. Sed sic distinguendo, auctor distinctionem inter utrumque jus omnino destruxit. Nam omnino desiderantur limites utriusque juris. Quid enim, si lex proponitur quæ declarat aliquem gradum ecclesiasticæ potestatis? Talis lex est-ne objectum juris publici an juris privati seu canonici? Juxta Schmier utrique scientiæ potest aptari; unde nulla remanet utriusque distinctio.

5° Nostra autem sententia hæc est : societas quæque duplici lege regitur, quarum una constituit societatis jus et formam, altera vero a magistratibus constitutis datur ad normam jam constitutæ societatis. Hinc jus publicum *est scientia quæ, ratione duce, statum reipu-*

blicæ christianæ determinat. Jus autem canonicum *est scientia legum quæ ab ecclesiastica auctoritate propositæ et approbatæ sunt.*

VI. Hæc autem juris scientia duplici ratione spectari potest, videlicet quatenus est *theoretica* et quatenus est *practica.* Unde distinguitur *juris* canonici *peritia a juris prudentia.* Juris peritia ea vocatur pars legalium studiorum quæ in abstracta legum contemplatione versatur; juris autem prudentia ea est quæ leges pro variis factorum adjunctis applicat. Proinde juris periti est leges cognoscere, juris prudentis autem illas prudenter applicare. Peritia in scholis, prudentia vero in usu adquiritur.

VII. Plures sunt denominationes juris nostri. Leges Ecclesiæ vel *sacræ* vel *pontificiæ* dicendæ sunt, et potissimum *ecclesiasticæ;* quo nomine Ecclesia leges suas sæpe nominavit.

Jus canonicum stricte definiri potest : *scientia qua interpretantur leges Ecclesiæ ut jura officiaque christiani populi determinantur.* Unde institutiones canonicæ dici possunt : *tractatio scientifica de principiis et elementis juris canonici.* Cognitio ergo quam inquirimus, versatur in juribus et officiis christiani populi ; et hoc est objectum scientiæ nostræ.

VIII. Ad nostrarum institutionum partitionem declarandam, plura sunt prænotanda :

1° Una quæque scientia, sicuti specialem habet finem, ita et speciales fontes unde propria hauriat argumenta habeat, necesse est. Philosophia habet veritates primitivas tanquam principia et fontes unde cæteræ derivantur, ratiocinium autem tanquam medium illas e fontibus derivandi. Theologia habet verbum Dei tanquam fontem generalem omnium veritatum fidei, theologica autem argumenta tanquam media. Inde dixerunt

dialectici quamlibet scientiam suam habere *logicam*, qua, veluti norma disciplinæ, humana mens ad veritatis assecutionem dirigatur. Unde et nostra scientia suam quoque logicam habere dignoscitur.

Sed 2° ad *logicam perfectam* duo requiruntur, videlicet : 1° ut fontes aperiantur unde veritates haurire valeamus; 2° ut modus doceatur quo possimus ex fontibus veritatem haurire.

Jam vero fontes juris canonici unde jura et officia christiani populi haurire oportet, sunt canones et leges Ecclesiæ. Modus inveniendi veritatem, in re nostra interpretatio est. Ergo tractatio nostra institutionum canonicarum in duas partes dividitur, videlicet : in *partem generalem*, quæ 1° de fontibus seu de legibus generaliter; 2° de modo inveniendæ veritatis, seu de interpretatione legum, tractat; et in *partem magis specialem*, quæ de objecto proprio juris canonici, seu de juribus et officiis christianæ societatis a legibus Ecclesiæ determinatis disputat.

PARS PRIMA

SEU

LOGICA SPECIALIS JURIS CANONICI.

Hæc prima pars disciplinæ nostræ, seu logica specialis juris canonici, in duos libros dividitur, quorum primus erit de fontibus juris canonici, seu de legibus, et alter de modo hauriendi veritatem e fontibus, seu de recta interpretatione canonum.

LIBER PRIMUS.

DE FONTIBUS JURIS CANONICI, SEU DE LEGIBUS.

Notandum est legis nomen dupliciter usurpari, proprio nempe sensu et improprio.

Proprio sensu intelligitur lex quæ talis est, qualis in formali sensu habetur; improprio sensu, lex sunt codices seu tabulæ ex quibus littera legis sciri potest.

Sub 1° respectu *qualitatem* legis noscere debemus; sub 2°, *loca* ubi leges continentur.

Unde duplici sectione legis cognitionem prosequemur, 1a de lege proprio sensu considerata, seu de legis qualitate; 2a de lege improprio sensu considerata, seu de codicibus, vel de sacrorum canonum collectionibus.

SECTIO PRIMA.

DE LEGIS QUALITATE.

Multa etiam hic notanda sunt quæ ad hoc referuntur, ut legum ecclesiasticarum indolem, proprietates, etc., cognoscamus.

Huc spectant ergo : 1° principium unde lex dimanat; 2° finis in quem tendit; 3° objectum circa quod versatur; 4° subjectum quod obligat; 5° species in quas distinguitur; 6° tempus quo perdurat; 7° sanctio qua munitur.

Singula hæcce distinctis capitibus consideranda sunt.

CAPUT PRIMUM.

DE PRINCIPIO SEU DE CAUSA EFFICIENTE LEGIS.

§ I. DE SUPREMA AUCTORITATE IN ECCLESIA.

I. Quæstio de principio unde dimanat lex ecclesiastica, dupliciter proponi potest, nempe vel in ordine ad principium remotum quidem, sed primarium unde jus ecclesiasticum dimanat, vel in ordine ad principium secundarium quidem, sed proximum, unde procedit.

Si quæratur principium primarium legum ecclesiasticarum, responsio patet; scimus quippe omnes Deum seu voluntatem Dei, æternæ sapientiæ convenientem, fontem esse universi juris canonici, sicut et totius scientiæ sacræ. Si venit quæstio sub altero respectu, qui ad nos strictius refertur, tota resolvitur in investiganda auctoritatis humanæ œconomia quam Christus dedit Ecclesiæ quam fundavit. Quam ob rem ratio rei postulat ut de ea non omnino sileamus.

II. Esto igitur quod auctoritas Ecclesiæ sit fons proximus legis ecclesiasticæ : sed quæritur penes quos auctoritas sit legum ferendarum in Ecclesia?

Agimus hic de positiva atque supernaturali institutione; ergo non theoriis a priori ex una parte, nec exemplis naturalibus ex altera argumentari licet. Ut quæstio definiatur, pendet res ex voluntate institutoris Ecclesiæ. Ita est igitur quæstio : quænam causa efficiens legum a Domino in Ecclesia sit instituta?

Hoc ut clarum fiat, tria quærenda sunt : a) in quos Christus constituerit supremam auctoritatem ecclesiasticam; b) an præter supremum auctoritatis ecclesiasticæ gradum, alii a Christo in Ecclesia instituti sunt; c) an, intacta Christi institutione, alii auctoritatis gradus ab ipsa Ecclesia fuerint instituti. Explicatis hisce quæstionibus, perspicuum erit a quo fonte in concreto lex ecclesiastica habeatur.

§ II. DE OECONOMIA SUPREMÆ AUCTORITATIS IN ECCLESIA.

III. Jam vero a Christo duos fuisse institutos auctoritatis gradus scimus, alterum supremum, independentem, alterum dependentem et inferiorem.

Supremum auctoritatis gradum contulit Christus tum uni personæ singulari, nempe Petro, tum uni personæ morali, nempe collegio apostolorum cum Petro; quod colligitur ex Math. XVI, quoad primam collationem : « Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. » Et quoad alteram ex eodem Matt. XVIII, 18 : « Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. » Unde cohærenter ad hanc promissionem, Christus et uni Petro credidit pascendas

omnes oves, nulla facta temporis vel loci distinctione (*Joan.* XXI, 15, seq.), et apostolos misit cum plenitudine illa potestatis quam ipse a Patre accepit (*Joan.* XX, 21) : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. » (Cf. *Matt.*, XXVIII, 18, 19.)

IV. Non inde concludi potest duas potestates independentes esse in Ecclesia. Duæ namque potestates, sub eodem respectu independentes, logice repugnant, nec concipi possunt nisi mutuo dependentes. Unde non duplex potestas independens est; sed una individua duobus subjectis collata est, quorum unum est persona physica (Petrus), alterum, moralis (collegium nempe apostolorum cum Petro).

Quapropter præscindendo ab ideis politicorum regiminum, ex quibus nullum possumus reperire exemplum opportunum ad investigandum subjectum hujus supremæ potestatis, ad altiorem statum recurrendum nobis est ut comparatio aliqua institui possit cum regimine Ecclesiæ. In SS. Trinitate tres reperimus personas quæ plenam et supremam habent potestatem, tum singulæ separatim sumptæ cum collective consideratæ ; et tamen non est nisi una potestas , nisi una monarchia. Quemadmodum igitur hic non multiplicatur potestas, ita et in Ecclesia non duplex sed una potestas est. Sic Siricius in Epist. ad Episc. Arelatens. : Unitati SS. Trinitatis assimilat unitatem potestatis ecclesiasticæ.

§ III. DE GRADIBUS INFERIORIBUS A CHRISTO INSTITUTIS.

V. Alterum reperimus gradum auctoritatis in Ecclesia collatum vel uni Petro , vel apostolorum universitati Petro cohærentium, videlicet singulis apostolis. Apostoli enim in negotio prædicationis Evangelii, fundationis Ecclesiarum, non se gesserunt tanquam

ministri supremæ auctoritatis, sed tanquam ministri Christi, qui per Christum nempe, non per homines, legatione erant insigniti.

Duplex ergo a Christo fuit institutus auctoritatis gradus: primus, supremus et independens, Petro et universitati apostolorum collatus; secundus vero proprius singulorum apostolorum, obnoxius priori ab ipsoque dependens.

VI. Hæc forma regiminis a Christo stabilita non fuit precaria, sed perpetua. Hoc enim suadet:

1° Natura societatis quæ tota pendet a positiva et concreta institutione, qualis Ecclesia est. Christus enim non instituit Ecclesiam in abstracto, sed in concreto. Unde modus essendi ita positiva institutione determinatur ut sit huic societati necessaria; unde si forma essentialis periit, ipsa Christi Ecclesia periit:

Aliter accidit in civili statu, siquidem natura civile consortium hominum non determinat in concreto, sed in abstracto tantum, seu ordo socialis spontanee movebat homines in statum civilem; sed nunquam in concreto determinatus est ille status. Unde modus essendi hujusmodi status, limites territorii et forma ejus habentur tanquam formæ accidentales, modi accidentales actuandi vel congregandi societatem illam in abstracto, seu determinant in concreto societatem quæ antea instituta fuit in abstracto. Propterea veteribus modis abeuntibus et novis accedentibus non perit societas civilis, quia modus non est illi essentialis.

Suadet 2° hujus regiminis perpetuitatem mens Christi, qui per eam voluit consulere non unius temporis Ecclesiæ, sed et universæ societati quam instituebat, et quæ ad finem usque mundi duratura erat. Unde quæ ad primitivam Ecclesiam spectarunt, hæc ad omnium temporum Ecclesiam pertinebant. Eadem enim

causa est. Nulla ergo a tempore mutatio fieri potest.

Suadet 3° Ecclesiæ traditio quæ perpetuo agnovit in Romano Pontifice successorem Petri, in episcopis successores apostolorum. Diverso tamen modo successerunt Romani Pontifices Petro, apostolis episcopi :

Romani Pontifices successerunt Petro per seriem quamdam non interruptam qua singuli decessoris locum occupantes omnes plenissime facti sunt hæredes potestatis a Christo traditæ.

Sed episcopi non successerunt singuli singulis apostolis, sed potius episcopatus apostolorum ad alios etiam pro necessitate et pro opportunitate Ecclesiæ propagatus fuit. Unde successio episcoporum in locum apostolorum dupliciter considerari potest : 1° vel quatenus consideratur successio totius collegii episcopalis collegio apostolico ; 2° vel quatenus consideratur successio singulorum episcoporum auctoritati illi quam habebant singuli apostoli.

Si prius, successio universorum episcoporum apostolis vera est et proprie dicta successio, quatenus, defunctis apostolis, collegium episcoporum locum tenet collegii apostolici. Si vero consideratur posterius, successio quoad singulos vera et proprie dicta successio, qua successor locum tenet antecessoris, non verificatur ; sed videtur impropria, quatenus scilicet singuli habeant gradum divinæ institutionis, sed gradum dependentiæ, quem obtinebant singuli apostoli.

At cum apostoli essent anteriores Ecclesiæ, ordinarium illorum officium erat fundare Ecclesiam, non regere. Contra, episcopi qui post Ecclesiam conditam creati sunt pro ordinario officio habent non fundare sed regere. Hæc est differentia objectiva inter potestatem singulorum apostolorum et singulorum episcoporum. Si potestas in subjecto consideratur, nulla adest

differentia, nisi quod apostoli, singularibus dotibus præditi, infallibiles fuerunt, nec poterant Ecclesiam scindere et a capite avelli, uti singuli episcopi.

VII. Sed hæc potestas singulorum episcoporum, divina ordinatione instituta, aliam non habebat determinationem, nisi quod deberet esse potiori potestati subjecta. Unde determinationem sui officii in concreto non habebat, sed poterat eam a superiori auctoritate accipere. Quod factum est per distinctionem *diœceseon.*

Postquam ergo apostoli propagaverant Evangelium et fundaverant Ecclesiam, alium pro munere suo eligebant, quem constituebant antistitem vel episcopum ut illius nascentis aggregationis ecclesiasticæ esset pastor et princeps, non secus ac unus, ex Christi institutione, fuerat ad universam regendam Ecclesiam stabilitus. Ambitus autem territorii usuvenit *diœcesis*, quasi locus separatæ administrationis. Societas illa, territorio limitata, sub episcopo capite instituta, tanquam quædam societas perfecta in genere suo, dicta est Ecclesia, per applicationem nempe nominis perfectæ societatis societati illi quæ generalis societatis esset pars.

VIII. Patet ergo universam Ecclesiæ administrationem reduci posse in systema generale, quod ex harmonia plurium systematum particularium exurgit; siquidem singularis Ecclesia particularem societatem supponit, capite episcopo; una autem est diœcesis particularis, videlicet romana Ecclesia, quæ gubernatur ab Episcopo maximo, tanquam centrum totius systematis generalis. Unde systemata particularia circa generale volvuntur respectumque ad illud habent. Quocirca hæc particularia systemata in tantum pertinent ad systema generale in quantum circa hoc gene-

rale centrum revolvuntur. Si ergo, abrupta relatione alicujus systematis particularis ad centrum generale, illud externum a systemate generali constitueretur, oriretur disruptio, ac proinde confusio.

IX. Ex hactenus dictis inferre debemus duplicis generis jam exurgere principia, unde pendet jus ecclesiasticum :

1° Principium juris universalis ;

2° Principium juris particularis.

Principium generale fundamentum habet tum in Romano Pontifice, tum in collegio episcoporum ; scilicet vel a Romano Pontifice, vel ab illo universali collegio pastorum Ecclesiæ jus universale constituitur.

Principium alterum est episcopus in sua diœcesi, pro jure scilicet particulari.

3° Præter hæc duo principia, quoddam adest principium intermedium juris peculiaris, quod non adeo patet ut ad universale referatur, nec adeo restringitur ut ad particulare.

§ IV. DE GRADIBUS INFERIORIBUS AB ECCLESIA CONSTITUTIS.

X. Determinata jam potestate singulorum episcoporum in ordine ad regimen totius Ecclesiæ, debet etiam hæc potestas considerari in ordine ad regimen unius diœcesis, scilicet quatenus est fons legis diœcesanæ, seu juris quod *singulare* dicimus eo quod fines unius diœcesis non egreditur.

Sed pro analogia quæ semper visa est inter divinas et ecclesiasticas institutiones, quum episcopi auctoritatem regiminis diœcesis sibi datam esse censuerunt, ita eam acceperunt ut sacerdotes vel clericos in partem sollicitudinis suæ advocarent. Unde quemadmodum suprema auctoritas ecclesiastica divino jure sic fuerat instituta ut eam integram haberet, vel unus

Rom. Pontifex, vel integer episcopatus cum eo conjunctus, ita et, quoad regimen singularis diœcesis, sic visa est episcopo collata auctoritas ut et integer clerus ab eo constitutus de illa quodam modo participaret. Lex igitur diœcesana non tantum ex una episcopi voluntate, sed etiam ex unanimi clericorum deliberatione, in *synodo diœcesana,* constitui visa est.

Hinc duplex exurgere videtur principium legis, universale quidem apud Petrum, singulare apud episcopos; universale apud collegium episcopale, singulare apud collegium diœcesanum.

XI. Præter hæc duo principia, universale nempe et singulare, adest principium intermedium juris cujusdam *particularis*, quod egreditur tamen limites unius diœcescos. Quum enim incommoda visa sit ea regiminis ratio, qua deberet unus Papa singulorum episcoporum gestioni per se immediate advigilare, institui cœperunt magistratus intermedii, qui potestatem papalem, pro modulo suo, repræsentantes, infimum episcopatum cum pontificatu maximo colligarunt. Ita, post primam diœceseon distinctionem, ecclesiasticas provincias distinctas esse vidimus, omnesque diœceses, in singulari provincia contentas, fuisse uni subjectas cathedræ principali seu sedi episcopali propriæ provinciæ. Unde orti sunt *metropolitani* tanquam præsides omnium episcoporum provinciæ, qui in ejus comparatione dicti sund *suffraganei.*

XII. Pari modo, et plures provinciæ ecclesiasticæ sub una principali cathedra sunt constitutæ, videlicet sub sede illa quæ, in urbe nationis principe vel regni, fuisset constituta. Unde orta est dignitas quæ *primatus* nomine apud Latinos, *exarchatus* vero apud Orientales significatur, qua qui insigniti existunt, tanquam principes episcoporum totius nationis reputantur,

XIII. Demum, ad honorem Petri a quo nonnullæ cathedræ orbis catholici fuerunt sublimatæ, ut ait antiquitas, et *sedes patriarchales* sunt institutæ quæ primatialibus etiam sedibus præferuntur.

Tres ab initio fuerunt patriarchatus : Antiochenus nempe quem Petrus administraverat, Romanus in quo ipse vita functus est, demum Alexandrinus qui claruit S. Marci ministerio. Posterius alii duo fuerunt his tribus adjuncti, videlicet Hierosolymitanus ad honorem locorum sanctorum, et Constantinopolitanus pro restituenda concordia cum episcopis hujusce sedis.

XIV. Jam vero metropolitæ, primates, exarchæ et patriarchæ, qua tales, licet omnibus episcopis provinciæ, regni et regionis sint superiores, ferendæ tamen legis in provincia jus nullum habent. Sed, quatenus centrum quoddam constituunt provinciæ, regni vel regionis, occasio fuerunt propter quam novum juris principium enatum sit quod totam obligat Ecclesiam in provincia, regno vel regione contentam. Nam pro illa analogia quam habent ecclesiasticæ institutiones ad divinas, integrum collegium episcoporum regni vel regionis sub primate vel patriarcha, aut integrum collegium episcoporum sub metropolitano adunatum, sic se habent ad universitatem ecclesiarum hujus regni vel nationis vel provinciæ, tanquam integrum orbis catholici episcoporum collegium, sub Rom. Pontifice congregatum, se habet ad totam Ecclesiam.

Unde natum est aliud principium juris particularis, obligans eam societatis ecclesiasticæ partem quæ vel patriarchali vel primatiali vel metropolitanæ subditur auctoritati, sicuti universalis Ecclesia Romano Pontifici. Unde jura synodorum vel nationalium vel provincialium orta sunt.

XV. Nec tamen desunt et personæ singulares quæ dici possint juris particularis principium. Cum enim potestas metropolitanorum, primatum vel patriarcharum non sufficeret ad continendos in officio episcopos, consilia autem particularia rara evaderent, Pontifices Maximi mittebant per singula regna suos *legatos apostolicos*, qui jus haberent leges edendi provincias vel integra regna obligantes, etiam finita legatione.

Hæc de principio juris dicta sufficiant, quod nempe duplex est, remotum scilicet et proximum. Remotum Deus est; proximum vel Romanus Pontifex, vel collegium episcoporum, vel episcopus in specie.

APPENDIX AD CAPUT PRIMUM.

DE FORMA REGIMINIS ECCLESIÆ.

Etsi in præsens non agatur directe de modo quo hi diversi gradus concurrunt ad Ecclesiæ constitutionem determinandam, sed dumtaxat de potestate ecclesiastica, quatenus est fons ac causa efficiens juris canonici, tamen cum ea quæ hactenus de hac potestate edisseruimus, regimen Ecclesiæ non obscure manifestant, pergere nunc in rem est, per modum corollarii, ad illud patefaciendum.

I. De forma regiminis generatim inspecta.

XVI. Per formam regiminis intelligitur *consensio omnium elementorum societatis in finem communem vergentium*, seu modus secundum quem intellectus concordant, voluntates uniuntur et media coordinantur intuitu boni communis assequendi. Principium activum quod varia elementa socialia coagmentat eaque

ad finem dirigit, est *potestas*, quæ idcirco dici solet forma societatis. Inde forma regiminis ex ipsa natura potestatis resultat.

Potestas vero in obstracto spectata nihil aliud est quam complexus quidam jurium; in concreto autem penes unam personam physicam vel moralem existit, quæ *subjectum* potestatis, seu illorum jurium, appellatur. Proxime ergo per modum quo ille complexus jurium in suo subjecto inest, definitur forma regiminis, quæ est *simplex* aut pura, si plenitudo potestatis uni subjecto inest, *composita* aut mixta, si pluribus subjectis, quorum singula partem dumtaxat exercerent supremæ potestatis, inhæret.

XVII. Jam vero triplicis generis esse potest subjectum potestatis supremæ, nempe unus, pauci, ipsa multitudo : et sic exurgit triplex forma simplex regiminis, monarchica, aristocratica et democratica.

1° *Monarchia* est ea regiminis forma in qua subjectum potestatis est una persona physica.

2° *Aristocratia* illa est forma in qua potestas in paucis optimatibus inest, ac proinde cujus subjectum auctoritatis supremæ est quædam persona moralis, non omnibus, sed paucis proceribus coalescens.

3° Tandem *democratia* appellatur illud regimen in quo potestas est in populo, seu in ipsa multitudine : in hac ergo forma subjectum supremæ auctoritatis est quædam persona moralis universa plebe constans.

Præter has formas simplices, dantur regimina mixta fere innumera, quæ ex varia mixtura et divisione jurium inter plura subjecta exsurgunt. Aliquando unus partem potiorem jurium majestatis tenet; aliquando hæc pars in manu optimatum vel ipsius populi reperitur; et potestas integra conjunctim in pluribus versatur subjectis. Itaque pro divina ratione qua dis-

pertiuntur varia jura majestatis inter determinata subjecta, varias habemus formas regiminis mixti.

II. De regimine Ecclesiæ.

XVIII. Circa hanc quæstionem varii exorti sunt errores, qui fontem suum plus minusve habent in hæresi protestantium :

1° Formam regiminis Ecclesiæ esse democraticam affirmare non dubitavit Richerius, juxta quem Christus supremam immediate contulisset potestatem ecclesiasticam ipsi populo christiano, quæque potestas delegatione translata fuisset quibusdam præsulibus ad Ecclesiæ gubernationem deputatis.

In hac ergo exitiali doctrina, subjectum immediatum potestatis supremæ esset multitudo christiana, dum ipse Summus Pontifex non habetur nisi ut subjectum mediatum.

2° Gallicani, ex potestate quam Christus collegio apostolico contulit, arguentes, docuerunt formam regiminis non esse monarchicam, sed aristocraticam : potestas suprema regendi Ecclesiam competeret, non Romano Pontifici seorsim sumpto, sed tantum episcopis omnibus collegialiter sumptis, ac proinde soli concilio œcumenico. Hæc doctrina, quoad partem negantem, debet omnino rejici, sin minus tanquam certo hæretica, saltem tanquam evidenter falsa, ut pote Christi institutioni non ambigue opposita.

3° In alium excessum abierunt auctores nonnulli qui episcopos habuerunt tanquam simplices delegatos R. Pontificis, quique proinde de dignitate episcopali nimis detrahere merito visi sunt.

XIX. Inter theologos, non modo voluntate, sed intellectu et reipsa catholicos, duæ sunt sententiæ :

1° Alii, cum Bellarmino, tenent Ecclesiæ regimen haud

esse mere monarchicum, sed constare monarchiam aliquo elemento aristocratico temperatam. Et hanc sententiam adstruunt ex illa duplici collatione potestatis a Christo facta, et ex divina institutione episcopatus.

2° Alii, cum cardinali Ursio, etsi in dubium neutiquam vocent quæ antea diximus de origine potestatis episcopalis, nihilominus arbitrantur ea nihil impedire quominus Ecclesiæ regimen dicatur et sit simpliciter monarchicum. Hanc adstruunt sententiam ex eo quod in Ecclesia summus princeps a Christo constitutus est, qui omnibus imperandi potestatem habet, et nulli subjicitur : hæc ergo auctoritas divinitus collata in suo exercitio minime est obnoxia collegio episcoporum sed independens, atque *vere ac proprie suprema.*

Circa hanc quæstionem, evidens est, 1° formam regiminis esse monarchicam; constat ex dictis. Si aliquando potestas suprema exercetur a concilio generali, id non fit sine dependentia a Romano Pontifice. Si consideratur *in abstracto* potestas hæc suprema, constat illam esse unam in se et indivisibilem ; si consideratur *in concreto*, incommutabiliter residet in Romano Pontifice, qui eam suo arbitratu exercere potest. Ergo minime ambiguum est quin regimen Ecclesiæ simpliciter monarchicum dici debeat.

2° Episcopi, licet non sint simplices delegati R. Pontificis, tamen non exercent nisi potestatem ordinis inferioris et supremæ obnoxiam ; inde constituere nequeant elementum aristocraticum proprie dictum, quod scilicet parte auctoritatis supremæ potiretur. Porro ut regimen aliquod dicatur aut simpliciter aut secundum quid aristocraticum, necesse est ut pars, non potestatis cujusque, sed *supremæ*, ab aliis, præter potiorem principem, detineatur. Ergo...

3° Tamen si hæc quæstio in illo sensu intelligatur

quod Christus ipse plures constituerit fontes legum ecclesiasticarum pluresque gradus potestatis, nihil impedit quominus dicatur, cum Bellarmino, regimen Ecclesiæ esse monarchiam aliquo elemento aristocratico temperatam. Id enim nihil aliud significat nisi quod, præter supremum pontificatum, Christus ipse quosdam gradus potestatis instituit. Sed semper retinendum est episcopos singillatim sumptos nullam nancisci partem supremæ potestatis, et ipsum corpus episcopale, nonnisi ex sua conjunctione cum Romano Pontifice, valere actus supremæ auctoritatis elicere.

CAPUT II.

DE FINE ET OBJECTO LEGIS.

I. Finis et objectum legum ecclesiasticarum duplici modo possunt considerari, videlicet aut in genere aut specie. Generalis horum investigatio breviter concluditur :

Cum enim legum *finis* sit bonum commune societatis pro qua feruntur, objectum autem constituant actiones subditorum, hujusmodi principium applicando, paucis dicere possumus quod finis legum ecclesiasticarum sit *bonum commune* Ecclesiæ, objectum autem earumdem *actiones* christianorum.

Verum cum subtilius posset inquiri quodnam sit hoc bonum commune quod intendit Ecclesia, quodnam sit objectum circa quod debent versari actiones christianorum, inde est quod necessaria sit specialis investigatio quæ nobis exhibeat indolem et naturam quæ legibus nostris singularis est.

II. Jam vero cum finis propter quem Christus Ecclesiam fundavit et ecclesiasticam instituit auctoritatem, fuerit reparare hominis casum in ordine ad finem

suum ultimum unde peccando exciderat, naturaliter consequitur quod bonum hoc commune ad quod dirigitur ecclesiastica legislatio, sit bonum illud commune quod per Christum Dominum Redemptorem nobis competit, et in quo consistit omnium hominum salus æterna.

Porro duo sunt media necessaria ad hunc finem obtinendum :

1° Fides secundum revelationem;

2° Actio consona fidei.

Unde objectum legum ecclesiasticarum vel *dogma* est quo fides juxta revelationem doceatur, vel *disciplina* per quam actiones christianorum juxta fidem gubernentur. Quapropter sive theologi sive canonistæ dicunt legum ecclesiasticarum objectum esse dogma vel disciplinam, quorum naturam, species et distinctas notas breviter considerabimus.

III. *Dogma,* si vocis etymon spectemus vel naturalem vocis significationem, est veritas quædam inconcussa, firma. Applicata hæc vox ordini supernaturali seu ordini revelato, significat : *veritas certe a Deo revelata,* quæ certitudo acquiritur mediante magisterio Ecclesiæ. Unde potest dogma revelatum definiri : *veritas certe a Deo revelata, et ab Ecclesia proposita firmiterque credenda.*

Porro hæc veritas esse potest vel ordinis mere speculativi vel ordinis moralis seu practici; est ordinis mere *speculativi,* si quædam sit veritas quæ ad mores hominum dirigendos directe non referatur, v. g. unus est Deus, etc.; ordinis vero *moralis* et practici, si constituat principium morale quoddam, seu veritas quæ ad mores hominum informandos directe referatur, v. g. amandus est Deus. Sed vel unius sit vel alterius ordinis, nempe speculativi aut moralis, nunquam suum limitem excedit, nempe quod sit veritas credenda.

IV. Contra vero *disciplina,* vi nominis spectata, non est nisi norma agendi, quæ si referatur ad ordinem ecclesiasticum, in quo juxta fidem mores gubernandi sunt ut ad æternam vitam nos dirigant, disciplina dici potest : *praxis agendi secundum fidem,* seu secundum dogma quod credimus. Unde consequens est quod natura disciplinæ non sit natura cujusdam abstractæ seu absolutæ veritatis, quæ proinde invariabilis sit; sed potius tota illius natura consistit in investigando nexu quo factum cum veritate conjungatur.

Tota ergo natura disciplinæ consistit in investiganda relatione quam factum agendum habet cum credenda veritate.

V. Jam vero hic ordo, hæc relatio, hic nexus aliquando est absolute necessarius, aliquando mere contingens. Unde in primo casu disciplina invariabilis est, in altero necessario variabilis est.

Sunt enim quædam facta, quædam praxes quæ jure divino ita cum dogmate connectuntur ut sint unicæ expressiones dogmatis ipsius, solæque possint dogma quod credimus significare atque effectum supernaturalem, quem speramus, operari; sicut, v. g., praxes ritusque omnes sacramentales considerati in sua essentia, in sua substantia, quatenus sunt divinæ institutionis. Quæ praxes, cum consistant in agendo potius quam in credendo, propterea ingrediuntur ordinem disciplinæ; verumtamen ex altera parte ita divino jure sunt constitutæ ut, illis variatis, effectus supernaturalis nec significetur nec causetur. Unde quamdam disciplinam Ecclesiæ *fundamentalem* constituunt quam dogmatici tradunt.

Inde est quod ejusmodi praxes quamdam dogmatum invariabilitatem participent.

VI. Sed aliæ omnes praxes Ecclesiæ non tenent

hunc ordinem invariabilem ad fidem, ut, iis mutatis, fides amplius exprimi non valeat; sed potius, sicut sunt plures voces quæ ordinantur ad eumdem conceptum mentis exprimendum, modo unæ, modo alteræ sint aptiores et opportunæ, ita plura facta, plures praxes in Ecclesia — pro temporum, locorum, atque personarum varietate—possunt—modo magis, modo minus opportune—ad idem dogma significandum aptari. V. g. clerus jus debet habere ad subsidia temporalia. Plures autem in praxi esse possunt modi quibus hoc dogma exprimetur : clerus enim potest immobilia bona possidere, vel dona recipere, siquidem hoc vel illud rei ecclesiasticæ utilius evadere potest; sunt ergo duo facta quæ se referunt ad eamdem veritatem.

Christus, e. g., adorandus est tanquam præsens in Eucharistia; dogma est adoratio debita Eucharistiæ. Hodie illud profitemur maxima genuflexione, siquidem mos est apud nos hoc ritu maximum adorationis cultum exprimere. Ponite mores immutari, et alio modo exprimi cultum, tunc disciplina genuflectendi varianda est. Si igitur in aliqua natione, mutatis moribus, genuflexio contemptum significaret, genuflexio prohibenda esset.

Ita scimus christianæ perfectionis causa primitivas asseclas religiosam vitam in eremo duxisse. Vita illa eremitica exprimebat conceptum christianæ perfectionis. Sequentibus sæculis hæc vita in Ecclesia ex usu decessit.

Unde sequitur disciplinam ecclesiasticam nihil aliud esse *nisi systema variabilium factorum ad invariabile systema dogmatum aptissime ordinatum.* Quod ipsum dogma sic accipiendum sit, quasi totius hujusce variabilis disciplinæ centrum luminosum constituat.

Quapropter disciplina non procedit ex criterio ab-

solutæ et invariabilis veritatis; sed potius ex criterio prudentiæ qua inter plura id quod minus malum est vel melius eligimus.

VII. Hanc differentiam nescierunt jansenistæ. Quapropter sumentes primitivam disciplinam tanquam normam absolutam seu centrum immobile, damnata recentiori disciplina, et Ecclesiam ipsam damnarunt. Quemadmodum protestantes extollunt primitivam Ecclesiam in ordine ad dogma, sic jansenistæ in ordine ad disciplinam.

Jansenismum sapiunt et illæ doctrinæ cordatorum virorum, bona quidem fide prolatæ, qui dum veterem laudant Ecclesiæ disciplinam, contemnunt recentiorem, quasi non omni tempore Ecclesia Christi sponsa sit.

Quapropter longe a nobis sit ille immodicus vetustatis amor, sicut et novitatis. Unum sit principium certum, cum quo si stabimus, dilabi non possumus, nempe principium auctoritatis a Christo institutæ, cum qua vetera damnemus, si damnat, et nova, si reprobat, ne, vel vetera non amando vel nova dammando, schismatici fiamus ab auctoritate ecclesiastica.

VIII. Sic notatis dogmatis et disciplinæ natura, speciebus, differentia, breviter subdamus notas quæ inservire possunt ad dignoscendum quando lex dogmatica, quando vero disciplinaris est.

Hæc notæ facillime descendunt ex ipso criterio dogmatis et disciplinæ quod statuimus: *Dogma veritas est, disciplina praxis.*

Jamvero dogma tunc præcipitur cum veritas ipsa doceatur; praxis tunc præcipitur quando jubetur. Inde sic possumus breviter dicere : Si Ecclesia docet, dogmatica est lex; si præcipit, disciplinaris. At doceri et præcipi dupliciter potest, positive vel negative.

Docetur *positive,* quando veritas tanquam certa pro-

ponitur; docetur *negative* quando error tanquam certus damnatur. Unde si reperiamus Ecclesiæ leges ita conceptas ut veritates doceat vel doctrinam condemnet, lex erit dogmatica vel sensu positivo ut in primo casu, vel sensu negativo ut in secundo casu. Ex. g. si Ecclesia dicat : « firmiter credimus, » vel « Ecclesia docet aut docuit, » hæc sunt totidem formulæ positivæ dogmatum. Contra vero, si dicat Ecclesia : « siquis doceat...» « siquis dixerit... anathema sit, » negativæ sunt formæ.

Ubi vero reperimus leges vel canones ita conceptos ut actio præcipiatur, v. g. « *mandamus...*, » vel actio prohibeatur, v. g. « si quis peccet... si quis præsumpserit... anathema sit, » tunc canones erunt disciplinares, cum eorum objectum sit factum aliquod, non autem fides, et quidem positivi in primo casu, negativi in secundo.

IX. Potest itaque evenire, 1° ut earumdem legum objectum non pertineat ad fidem; et tunc quod præcipitur vel prohibetur variari potest.

2° Ut lex quædam disciplinaris seu ad factum spectans in expressione sit dogmatica ; tunc quod præcipitur aut prohibetur manet stabile.

3° Denique ut lex dogmatica sub forma præceptiva, nempe secundum modum proprium legum disciplinarium feratur, v. g. : « mandamus ut omnes credant, » et vice versa. Tunc non ipsa verborum forma attendenda est, sed potius scopus legis.

CAPUT III.

DE SUBJECTO LEGUM ECCLESIASTICARUM.

I. Exploratum est omnibus eam esse differentiam inter præceptum, regulam et legem, ut præceptum

feratur in singulares personas, regula in communitatem vel collegium aliquod personarum, lex in rempublicam seu in societatem perfectam; societas dicitur perfecta quæ a cæteris omnibus societatibus independens, sibi propria, sui juris ratione, tanquam morale individuum, voluntateque principis, in finem suum gubernatur.

Unde consequens est quod *præcepti* subjectum possint esse singulares personæ, subjectum *regulæ* communitas personarum, seu imperfecta quædam societas, subjectum vero *legis* unice sit respublica.

Si hujusmodi theoriam, quæ de legibus in genere statuitur communiter, immediate applicaremus juri nostro, hæc videretur naturaliter esse conclusio ut quoniam lex ecclesiastica fertur in rempublicam christianam, in Ecclesiam, Ecclesia ipsa sola et integra ecclesiasticis legibus subjiciatur, seu, quod idem est, quod omnes et soli christiani ecclesiasticis legibus subjiciantur. Verum, hæc immediata applicatio principii generalis nulla facta particulari distinctione nos falleret quoad duo, nam: 1° aliquando, etiam non christiani ecclesiasticis legibus subjiciuntur; 2° aliquando e contra non omnes christiani ecclesiasticis legibus subjiciuntur.

II. Quapropter diverso modo res est proponenda, ne ea quæ singularia sunt ac propria legum nostrarum omittere videamur. Itaque leges ecclesiasticæ, ut diximus, aut dogmaticæ aut disciplinares sunt:

1° Si sunt dogmaticæ, illis non solum christiani sed omnes homines subjiciuntur; natura enim dogmaticæ legis eo sita est quod per eam declaretur, ac proponatur veritas quæ a Deo revelata est.

Definitio legis dogmaticæ legem proprie non condit, sed per infallibile magisterium Ecclesiæ certos

nos reddit quod aliquod dogma in revelatione continetur, nempe quod a Deo ipsa lex illa processit. Porro, quando hoc constat, non tantum christiani, sed omnes quotquot subjecti sunt Deo revelanti, omnes quos obligat jus divinum positivum, omnes enim ad fidei assensum obligantur.

Unde natura singularis legum dogmaticarum facit ut illæ etiam externos societati pro qua latæ sunt, ferire necessario debeant. Si vero :

2° Sermo sit de legibus disciplinaribus, animadvertendum est quod licet vere et proprie societas *perfecta* in ordine ecclesiastico dici non possit nisi Ecclesia catholica, seu unica fidelium christianorum societas, et sic tenentur christiani omnes, non tamen omnes omnibus legibus.

III. Hæc tamen societas perfecta universalis tot videtur constare minusculis societatibus in suo genere *perfectis*, quot sunt nationes, quot provinciæ, quot diœceses ecclesiasticæ.

Hujusmodi enim particulares aggregationes christianorum consideratæ in ordine ad Ecclesiam universam, non sunt societates perfectæ, sed partes amplioris societatis; verum si considerentur inter se diœcesis cum diœcesi, una provincia cum altera, quodam sensu et in suo genere perfectæ dici possunt societates; singulæ enim habent suum populum, suum clerum, suum pastorem distinctum; singulæ proprio reguntur jure, independenter ab altera.

Quapropter in Ecclesia distinguuntur leges universales a particularibus in natione, provincia, diœcesi, prouti plura distinguuntur principia unde jus ecclesiasticum procedit. Qua de causa non possumus ita applicare theoriam de subjecto legis in genere, casui nostro, ut dicamus christianorum societatem generalem

esse semper subjectum legis ecclesiasticæ; sed distinguere oportet an universales vel particulares sint leges.

Si quidem lex fuerit generalis, illi subjiciantur non tantum omnes de Ecclesia sed omnes christiani. Cum enim una sit Ecclesia, illique nascamur non per externam quamdam adscriptionem delebilem, sed per indelebilem baptismatis characterem in animo nostro impressum, licet ex pertinacia nostra constituamur extra catholicam communionem, jura quidem ecclesiastici consortii possumus amittere, sed non officia quibus detinemur.

Sicuti enim filius, e. g., in naturalibus habet in sanguine, in ossibus, quoddam elementum quod ipsum ordinat ad patrem illique eum reddit subjectum quoad corporis vitam quod a patre accepit, ita christianus habet in anima sua quoddam ordinis supernaturalis elementum quod constituit eum subjectum auctoritati corporis quod a Christo institutum est ad eum in finem suum dirigendum. Propterea sicut filius vecordia sua domum patris deserendo potest amittere jura filii, nunquam tamen potest evenire ut non sit amplius filius, vel officia quibus erga patrem tenetur amittat; sic et christianus potest quidem e materno sinu Ecclesiæ sese retrahere, et sic jura filii amittere, nunquam tamen officia filii erga auctoritatem matris, id est, Ecclesiæ. Quapropter omnes christiani generalibus Ecclesiæ legibus subjiciuntur.

IV. Si autem de particularibus legibus sermo sit, illi tantum tenentur qui auctoritati illi subjiciuntur a quo latæ sunt leges illæ. Sic connationales tantum tenentur, si lex sit edita a concilio nationali; comprovinciales, si a synodo provinciali vel a legato apostolico; diœcesani, si decreta ab episcopo vel a synodo diœcesana statuta sunt.

Itaque juri dogmatico subsunt omnes homines, disciplinari vero christiani tantum; juri autem particulari, illi duntaxat qui auctoritati illi particulari subditi sunt. Sed hæc dixisse sufficiant de legum ecclesiasticarum subjecto.

CAPUT IV.

DE VARIIS SPECIEBUS LEGUM ECCLESIASTICARUM.

In distinctis articulis agemus : 1° de dispositionibus juris ecclesiastici quæ rationem legis perfectæ habent; 2° de illis dispositionibus quæ non rationem, sed tantum effectum legis habent.

ARTICULUS PRIMUS.

I. Multæ sunt species legum ecclesiasticarum; sed aliæ sunt legibus omnibus communes, aliæ, licet legum nostrarum sint propriæ, tamen *maturiori scientiæ* reservandæ sunt. Quapropter ut earumdem specierum ita tractationem instituamus, ut elementarium institutionum limites non excedamus, breviter de iis tantum tractabimus quæ vel legibus nostris sunt propriæ, vel licet communes cum legibus societatis civilis, tamen magna cum advertentia debent proponi, ne ecclesiasticæ constitutionis ordo convellatur. Unde breviter quatuor distinctiones legum expendendas proponam, nempe: 1° quæ exsurgit ex diverso subjecto quod jus dicit; 2° quæ ex diverso subjecto cui jus dicitur; 3° quæ ex diverso objecto de quo jus dicitur; 4° quæ ex diverso modo quo jus publicatur.

Singulas hujusmodi distinctiones exponemus semper facta comparatione ad leges civiles, ut magis ac

magis differentia specifica legum nostrarum innotescat. Itaque :

II. 1° *Ex diverso subjecto quod jus dicit*, distingui non potest lex civilis nisi ex varietate subjecti quod successive in republica imperii summam habuerit. Ita romani jurisconsulti distinguebant leges, in leges sic antonomatice dictas, in plebiscitas, in senatus-consultos, in principum edicta, prouti aut populus, aut plebs, aut senatus, aut princeps successive rem romanam administraverint.

Distinctionem autem ex diverso subjecto quod eodem tempore, contemporanee, in republica jus dicat, tanquam monstrum rejiciunt in re sua, nempe in jure civili, jurisperiti romani. Cum enim legislatio unius supremæ auctoritatis in republica sit attributum, unum autem sit subjectum in formis civilis regiminis quod hanc supremam obtineat auctoritatem, vel si plura sint, ita sint constituta ut non nisi ex omnium conspiratione legis deliberatio constituatur, distinguere non possunt plura subjecta quæ eodem tempore in republica legem ferant.

Contra autem accidit in legibus ecclesiasticis : cum enim substantialis forma regiminis a Christo instituta indefectibilis perseverat, nulla proponi potest successio, seu melius, distinctio subjectorum quæ successive in Ecclesia legis condendæ potestatem habeant.

Ex altera vero parte ita Christus instituit supremam auctoritatem ut contulerit eam integram duplici subjecto, nempe pastori uni et pastorum collegio, et secundum hanc primitivam institutionem, Ecclesia ita determinavit alios inferioris auctoritatis gradus, ut semper aliquo modo verificetur quod simul et per unum pastorem, et per pastorum collegium leges feruntur.

Inde est quod jus nostrum agnoscat differentiam subjecti quod eodem tempore jus dicit in Ecclesia. Itaque distinguitur jus Eccl. in *decreta* singulorum pastorum vel in *canones* conciliorum : illa a singulis pastoribus feruntur, hi vero unanimi deliberatione collatis consiliis a collegiis pastorum conduntur.

Pastorum autem tam singulorum quam collegiatorum plures gradus sunt. Nam adest *pastor œcumenicus* seu pastor pastorum, qui Romanus Pontifex est; adest *legatus apostolicus* qui speciatim Romanum Pontificem repræsentans in sua provincia, pastoralem in ea Pontificis nomine exercet auctoritatem. Adsunt singuli pastores seu *episcopi* singulis ecclesiis præpositi.

Proinde ex hac parte decreta pastorum possunt distingui :

1° In constitutiones apostolicas, seu Romanorum Pontificum;

2° In statuta legatorum apostolicorum;

3° In decreta singulorum episcoporum diœcesanorum.

Ex altera parte, nempe collegiorum, iidem sunt gradus auctoritatis. Adest enim :

1° Collegium œcumenicum, seu concilium generale omnium Ecclesiæ pastorum cum Romano Pontifice conjunctorum;

2° Collegium provinciale, seu concilium omnium pastorum provinciæ ab ejusdem provinciæ metropolitano congregatorum;

3° Collegium omnium illorum sacerdotum qui in diœcesi sub episcopo curam animarum habent, seu collegium pastorum diœcesanorum.

Unde ex altera parte jus canonicum potest distingui :

1° In decreta conciliorum œcumenicorum;

2° In decreta conciliorum tum nationalium tum provincialium; et demum

3° In statuta diœcesana.

Potest generalis hæc synthesis institui : leges feruntur vel a singulis pastoribus vel a pastorum collegio. Si a pastoribus singulis, vel a Romano Pontifice, vel a legato apostolico, vel ab episcopo feruntur. Si a collegio pastorum, vel a concilio generale, vel a synodo provinciali, vel a synodo diœcesana.

Sic habemus primam distinctionem ex diverso subjecto quod in Ecclesia jus dicit.

III. 2° *Ex diverso subjecto cui jus dicitur*, leges non distinguit jurisprudentia civilis. Cum enim non agnoscat perfectam societatem nisi in societate generali quæ sub principis auctoritate gubernatur, hæc autem nonnisi una sit pro singulis statibus, hinc est quod unum tantum subjectum legum civilium constituit, nempe integram rempublicam.

Propterea si quos habet ordo civilis magistratus qui sub principe constituti rempublicam administrant, eos habet tanquam principis administros pro custodia jurium quæ ad rempublicam conservandam et gubernandam feruntur, non autem tanquam conditores juris particularis, seu legislatores.

Sed Ecclesia catholica, quæ eam habet peculiarem constitutionem, ut resultare videatur ex tot minusculis societatibus in suo genere perfectis quot sunt nationes, quot sunt provinciæ, quot sunt diœceses, præter jus universale agnoscit et jus peculiare.

Propterea ex diverso subjecto quod legibus subditur ita eas distinguit ut aliæ universales, aliæ nationales, aliæ provinciales, aliæ diœcesanæ dicantur. Plura hæc distinctio non requirit.

IV. 3° *Ex diverso objecto de quo jus dicitur*, leges dis-

tinguuntur in jure civili pro qualitate rei de qua jus feratur : puta de testamentis, de contractibus, de statu personarum, etc.; has distinctiones nos etiam recipimus, sed eas habemus tanquam secundarias.

Potiores autem habemus quas non habet jus civile; cum enim jus civile unice ad mores gubernandos in ordine ad temporalem, communemque felicitatem constituatur, leges non agnoscit nisi disciplinares; dogmaticum jus non habet, nisi forte quod naturale est : ipsum namque jus civile non ad veritatem docendam, sed ad mores gubernandos, est institutum.

Sed Ecclesia, quæ pro fundamento totius legislationis habet fidem, propterea magistra veritatis agnoscitur et non solum tanquam morum gubernatrix, non tantum habet pro fine munus dirigendi mores subditorum, ac proinde leges disciplinares ferendi, sed habet etiam jus dogmaticum quod pro fine habet veritatem subditos docendam. Qua posita generali distinctione, tanquam potiori, nihil prohibet quominus pro variis classibus objectorum, secundarias et subalternas ponamus distinctiones.

V. Demum, 4° *ex diversitate modi quo jus fertur*, utrumque jus leges distinguit in *scriptas* et *non scriptas*. De qua distinctione nunc est tractandum.

Utraque jurisprudentia leges distinguit in scriptas et non scriptas, seu in promulgatas, vel moribus populi introductas. Legem enim scribere, juxta rationem loquendi jurisconsultorum, idem est ac legem promulgare. Sed cum penes romanos jurisconsultos hujusmodi distinctionis natura non bene appareat determinata, ideo optimum erit si de ea pauca præloquamur.

Itaque romani jurisconsulti cum scirent de facto imperium romanum democratiæ successisse, confun-

dentes *factum* cum *jure*, autumarunt a populo principi collatam fuisse legum ferendarum auctoritatem. Quapropter, proposito sibi dubio, quomodo mores populi possent jus introducere, sine ulla cunctatione, sine ulla dubitatione, sine ulla confirmatione respondebat Ulpianus (lege XXXII Digest. de legibus) : « Quid interest suffragio populus voluntatem suam declarare, an verbis ipsis et factis ? »

Sed licet Ulpianus, romanus jurisconsultus, scriberet sub Marciano imperatore, quando nempe romana jamdiu democratia exciderat, putabat tamen populum adeo posse legislativam auctoritatem exercere in imperio, verbis et factis, prouti suffragio suo faciebat in comitiis, quasi delegata principi auctoritate sibi non abstulisset jus leges ferendi ; proinde ac si principem ministrum suum sibi fecisset.

Sed hujusmodi systema, cujus tristes effectus quotidie deploramus, si perniciosum est in re civili, omnino intolerabile foret in re ecclesiastica. Si enim in civili republica aliqua democratiæ species potest induci, nulla profecto in regimine ecclesiastico, quod prorsus indefectibile est.

Ergo nobis videtur distinctionem inter jus scriptum et non scriptum non repetendam esse tanquam ex diverso fonte unde procedat : una enim voluntas principis humani juris fons est ; sed potius in diverso modo quo hæc principis voluntas reipublicæ manifestatur seu proponitur.

VI. Quid enim lex est in suo conceptu formali, in sua essentia ? Est quædam norma præceptiva qua reipublicæ mores gubernantur ; est absoluta principis voluntas populi moribus applicanda, seu strictius est *præceptum a principe datum populo.* Discrimen enim unde lex a præcepto differt in hoc tantum versatur

quod subjectum præcepti possit esse quælibet peculiaris persona, subjectum autem legis non est nisi respublica. Igitur præceptum a voluntate cujuslibet superioris potest jure procedere, lex autem ab unica voluntate illius qui ipsi reipublicæ præest.

Sed hac facta differentia, cæterum eadem formalis est ratio tum legis, tum præcepti, id est, absoluta voluntas superioris inferiori intimata, seu manifestata. Modus quo manifestatur hic indifferens est, et extra præceptum vel legis essentiam constituitur.

Jamvero, tum civili tum ecclesiasticæ auctoritati optimum visum est voluntatem suam reipublicæ intimare, non tantum præconum voce vel scriptis edictis eam promulgando, sed etiam populi moribus indulgendo, eisque obsequendo, atque eos confirmando.

Ut videtur, removetur illa discordia, quam sæpe promovere possunt novitates. Inde *pro diversitate modi* quo præceptiva voluntas principis intimata est societati, aliud dicitur *jus scriptum* et aliud *jus non scriptum*. Ubi nempe imperiosa principis voluntas mores antecedit eosque insinuat, est jus scriptum; dicitur jus non scriptum quando mores antecedunt, atque voluntas principis moribus accedit eosque comitatur et confirmat. Uno verbo, jus scriptum est : *jus promulgatione munitum ;* jus non scriptum est illud *quod moribus populi seu consuetudine inducitur,* dummodo tamen istis moribus accedat aliqua principis voluntas.

VII. Sed quæri hic posset quænam promulgatio vel quæ consuetudo requiratur ut hæc præceptiva principis voluntas sufficienter manifestetur communitati. Si sermo sit de promulgatione quæ intervenit in jus scriptum, sufficit hæc responsio quam tradit card. Gotti (*Tract. V de legibus*, *quæst.* 6) : Cum natura non determinaverit quemdam modum specialem

ac certum quo promulgatio legum peragi debeat, hunc contulisse videtur arbitrio, seu prudentiæ principis. Propterea sufficit *in genere* ut talis motus eligatur per quem *integra communitas, vel immediate, vel mediate, vel simul, vel successive*, certam notitiam legis habeat. Sive ergo princeps hoc faciat, vel præconis voce, vel scriptis edictis, vel legis publicatione tantum in curia, vel promulget in variis locis sui territorii, sufficit quod societas per hanc promulgationem possit voluntatem principis certo cognoscere. Nisi ergo leges speciales secus disponant, ab eo die quo subditus certam legis notitiam habet, vel, si negligens non fuisset, habere potuisset hanc notitiam, leges naturaliter publicantur.

VIII. Si vero de *consuetudine* sermo sit, cum ea in jure non scripto vices gerat promulgationis in jure scripto, necesse est ut talis sit consuetudo quæ legem valeat exprimere. Unde necesse est quod mores per quos consuetudo inducitur, exprimant omnia ipsis legibus necessario requisita ut veram obligandi potestatem habeat consuetudo.

Oportet igitur quod mores sint :

1° *Rationabiles*, seu non contra, sed juxta rationis dictamen ; lex enim rationis ordinatio est, et ita ordinatio rationis est, ut si rationabilis non fuerit lex, minime sit lex. Unde ubi mores fuerint irrationabiles, non exprimunt legem sed corruptelam, quæ omnino reprobanda est, ac proinde nullo vinculo legali animas ligare potest.

2° Requiritur ut mores sint *constantes*, quod importat actuum frequentiam, uniformitatem et diuturnitatem. Lex enim non est præceptum quod detur ad gubernandos actus transitorios unius vel alterius personæ, sed ad ipsam individuorum collectionem ex

qua integra respublica constituitur : constantia ergo sicuti necessarium est legis attributum, ita et consuetudinis. Quapropter ubi non fuerint mores uniformes, perseverantes, prouti non stabiles non possunt leges exprimere.

3° Non sufficit autem ut mores sint rationabiles et constantes. Oportet etiam ut sint *communes*. Subjectum enim legis communitas est; propterea ut mores exprimant legem in populo receptam, necesse est ut mores non pro una vel altera parte societatis, sed pro integra societate recepti fuerint. Introducti sint igitur mores vel in universali societate, si agitur de consuetudine universali, vel in particulari, si agitur de consuetudine tantum particulari, v. g. quæ in una tantum provincia, vel diœcesi obtinetur, necesse est.

4° Necesse est etiam ut mores apprehendantur tanquam moraliter *obligantes*, sive jus quod constituunt, sit præceptivum vel permissivum : lex enim non concipitur nisi exprimat obligationem vel facultatem moralem agendi.

5° Necesse est ut mores sint *conformes voluntati principis;* voluntas enim illa est fons proximus juris humani, et sine hac voluntate lex apprehendi minime potest. Hæc autem voluntas principis non debet esse *mera patientia*, sed voluntas omnino libera.

IX. Triplex potest distingui hujusmodi voluntas, scilicet expressa, tacita, denique præsumpta :

Expressa dicitur principis voluntas, si princeps, conceptis verbis vel scriptis, jus moribus introductum promulget; quo facto jus non scriptum fit jus scriptum.

Tacita dicitur, si princeps sciens et prudens silentio approbat quod secus posset et deberet reprobari : quo casu, ipsum principis silentium manifestat ejus voluntatem ;

Præsumpta vero dicitur seu legalis, quando vera voluntas principis non adest, nec expresse, nec tacite, siquidem princeps fortasse rem ignorat; seu adsunt rationes et motiva ex quibus deduci possit quod si princeps id sciret, certe approbaret: si, v. g., mores vergunt in utilitatem reipublicæ; reipublicæ enim utilitas in voto principis esse debet. Unde ex hoc quod talis vel talis morum inductio ad hanc utilitatem conferre vel illi adversari perhibetur, conformis vel contraria principis voluntati reputanda est, ideoque tanquam legem valens exprimere vel e contrario.

Porro hæc principis voluntas præsumpta, quæ potissimum consideratur in lege non scripta, aliquando magis, aliquando minus præsumitur ac scitur, secundum quod consuetudo moribus invecta magis vel minus a statutis legibus abhorrescere perhibetur. *Maxime* ideo præsumitur quando mores jus scriptum interpretantur illique obsecundant : est enim principis voluntas pro juris conservatione. *Minus* vero præsumitur ubi mores aliquid contineant quod sit præter jus, sed juri tamen non contrarium. *Minus etiam* quando mores aliquid continent juri antecedenti contrarium; tunc enim voluntas principis est pro jure, et non potest naturaliter supponi.

Propterea receptum est *minus tempus* requiri pro consuetudine *secundum jus*, *majus* pro consuetudine *præter jus, maximum* pro consuetudine contra jus.

Et hoc intelligitur quando lex nullam expressam mentionem facit de consuetudine. Sed quando jus expresse prohibet qualescunque consuetudines contrarias, tunc non possunt mores inducti contra legem facere.

ARTICULUS II.

DE QUIBUSDAM DISPOSITIONIBUS JURIS ECCLESIASTICI QUÆ NON RATIONEM, SED TANTUM EFFECTUS LEGIS HABENT.

Tres sunt illæ dispositiones, nempe :

1° Rescripta Summorum Pontificum ;

2° Responsa supremorum tribunalium ecclesiasticorum ;

3° Concordata, quæ sedes apostolica cum variis regnis init.

De quibus in totidem paragraphis et quidem breviter agemus.

§ I. DE RESCRIPTIS SUMMORUM PONTIFICUM.

Voluntas principis, quæ est principium universi juris in ordine suo, non tantum se prodit per generales dispositiones, per quas respublica moderatur, sed etiam per varia responsa in negotiis subditorum, manifestatur. In primo casu oriuntur leges de quarum natura satis dictum fuit. In secundo casu oriuntur rescripta, quorum naturam breviter investigabimus, ut elementaris sed perfecta notitia habeatur in jure nostro.

Hoc ut præstemus, distinctis numeris expendenda sunt rescriptorum : 1° essentia, 2° forma, 3° species, 4° vis seu valor, 5° duratio.

I. *De rescriptorum essentia.* — Rescriptum, si vocis etymon spectemus, nihil aliud est quam responsum scripto mandatum. Quapropter quilibet dum respondendo scribit, generatim loquendo rescribere dicitur. Sed usus jurisconsultorum invaluit, ut rescripti nomine, per antonomasiam, significetur responsum supremi principis scripto redditum.

Jam vero, in jure nostro, supremus princeps non datur nisi Papa; unde quum de rescriptis loquimur, papalia rescripta intelligimus, seu responsa a Summo Pontifice scriptis reddita ad alicujus relationem, postulationem, supplicationem.

Qua posita definitione, jam unusquisque intelligit essentiam rescripti esse essentiam cujusdam responsionis, quæ nempe tota relativa est petitioni, relationi, consultationi, quæ facta fuerit; seu quemadmodum interrogationi, relativa est responsio, sic rescriptum petitioni, relationi, etc.

II. *De rescriptorum forma.* — Unde resultare videtur rescriptorum formam omnino analogam esse formæ supplicum libellorum, qui principi ad rescribendum proponuntur. Supplex autem liber tribus constat partibus :

1a parte *narrativa*, in qua supplex facta proponit;

2a parte *postulatoria*, in qua petitiones suas manifestat;

3a parte *impulsiva*, in qua, rationibus adductis, conatur inclinare assensum principis ad rescribendum.

Sic de supplici libello, ita et de rescripto, in quo nempe hæ tres adsunt partes tribus illis partibus, quas in dicto libello adnotavimus, respondentes :

Prima pars, quæ narrativæ respondet et eodem nomine significari potest, summarie reassumit historiam facti a supplicante propositi.

Secunda pars, quam *dispositivam* nuncupamus, quæque postulatoriæ supplicis libelli parti respondet, de re disponit, et in ea princeps suam dispositionem manifestam facit, seu admittit vel rejicit petitionem supplicantis.

Tertia pars, quæ impulsivæ respondet, *doctrinalis* est, in eaque princeps, rationibus additis, justitiam suæ responsionis demonstrat.

III. *Rescriptorum species* dupliciter distinguuntur, videlicet vel habita ratione relationis quam possunt dicere ad legem, vel habita ratione diversorum objectorum de quibus disponunt.

Sub primo respectu trifarie subdistinguuntur, quatenus nempe dici possunt secundum jus, contra jus vel præter jus. *Secundum jus*, si princeps jus interpretetur illudque applicet, vel ejus procuret applicationem; *contra jus*, si princeps aliquid concedat quod juri communi adversetur; *præter jus*, si princeps de aliqua re disponat quæ nec in jure sit nec illi repugnet.

Huic distinctioni affinis est illa quæ respicit diversitatem objectorum quæ sub rescriptis cadere possunt. Sub hoc respectu dividuntur rescripta in rescripta *gratiæ* et rescripta *justitiæ*.

1° Rescripta *gratiæ* illa sunt in quibus princeps aliquid concedit vel *præter jus*, vel *contra jus*. In primo casu, concessio principis dicitur *beneficium;* in secundo autem, dicitur *privilegium*. In utroque, princeps non reddit jus, sed favorem impertit.

2° Rescripta *justitiæ* seu *ad lites* illa sunt per quæ princeps, ut litem dirimat, vel jus obscurum declaret, vel jus causæ seu liti quæ mota est applicet, vel judices deputet qui, pro justitia, inter litigantes jus dicant. Quibus in casibus, princeps non tantum respicit favorem quantum justitiam. Propterea hæc rescripta maxime sunt affinia illis quæ diximus *secundum jus*.

IV. *Valor rescriptorum* omnino æstimari debet ex voluntate rescribentis, sicuti leges ex voluntate legislatoris. Quo posito, quatuor nascuntur corollaria servanda ubi agitur de vi seu valore rescriptorum.

1° *Rescriptum per se loquendo dicit jus particulare; per accidens autem, habere potest vim juris universalis.*

Ratio primæ partis est quia voluntas rescribentis, ex dictis, naturaliter relativa est supplicationi quæ rescribenti fuit proposita. Atqui hoc non excedit peculiaria alicujus facti adjuncta. Propterea voluntas rescribentis extra particulare factum non extenditur.

Ratio secundæ partis est quia aliquando potest evenire ut princeps ad alicujus consultationem vel relationem, proponat jus commune, vel jus dictum in peculiaribus alicujus facti adjunctis velit observari et custodiri tanquam esset jus commune.

Primus casus dupliciter distinguitur : princeps potest ad alicujus instantiam commune jus proponere, vel illud interpretari ratione habita facti particularis quod ipsi proponitur; quo casu, interpretatio principis naturaliter ad jus commune reducitur. Potest eetiam princeps, occasione sumpta alicujus facti peculiaris, jus proponere. Talia autem rescripta ab aliquibus *generalia* dicuntur.

Secundus casus contingit cum princeps rescripta reddita pro peculiaribus factorum adjunctis, in authenticam referat collectionem, sicut in jure civili a Justiniano imperatore factum est, et in jure canonico a SS. PP. Gregorio IX, Clemente, Bonifacio, etc. Quo casu fit ut rescriptum, dictum in peculiaribus factorum adjunctis, protendatur ad omnia facta similia quæ evenire possunt.

2° *Sola dispositiva pars in rescriptis jus dicit.* Ratio hujus corollarii est quia princeps in parte narrativa historici potius quam principis munus agere videtur; in parte vero doctrinali, potius doctorem quam principem.

Ad hæc notandum est quod principes non valent per se integra rescripta perficere, sed scribis hujusmodi curam demandare debent, qui pro ingenio suo, ut plu-

rimum, rationes et motiva quibus ipsa dispositio nititur, deducunt scriptisque reddunt; unde patet hæc motiva non semper veræ rescribentis intentioni respondere. In sola igitur dispositiva parte rescripti substantia contineri tenenda est, ideo sola jus facit.

3° *Rescriptum de se nullum jus facit, si ipsa factorum adjuncta non respondeant, saltem quoad substantialia, narrationi quæ rescribenti fuit proposita.* — Ratio hujus tertii corollarii est quia sicuti responsio analoga est interrogationi, ita voluntas rescribentis sese refert ad illum casum propositum, prout revera propositum est. Immutatis vero quoad substantiam factorum adjunctis, diversa responsio foret. Unde patet quod in tali casu rescriptum non præsumitur habere pro se voluntatem rescribentis.

Unde etiam inferendum erit (et hoc in utroque jure, civili nempe et canonico) quod vera rescripta subintellectam habeant clausulam, si vera sint proposita. Quapropter constat penes utriusque juris consultos, quod si precibus sit adjecta falsitas, quod pragmatici dicunt *obrepere*, vel si sit suppressa veritas, quod iidem dicunt *subrepere*, talis autem sit falsitas aut veritas quæ recidat in substantiam factorum, rescriptum sic obtentum nullius fit ponderis, et pro nullo habetur. Tunc enim dicitur obreptio vel subreptio in ipsa rescripti substantialia cadere.

Hæc ipsa substantialia debent respici in ordine ad voluntatem rescribentis. Hæc autem voluntas non posset vel non soleret revera talem se habere, sicuti se habet in responsione data, si facti substantia non immutata fuerit.

4° Unde inferimus (quod quartum est corollarium) *quod etiamsi facti narratio, quoad accidentalia tantum, immutata fuerit, tunc, si hoc mala fide factum fuerit,*

jure canonico non valet rescriptum. — Ratio est, quia, licet ista obreptio vel subreptio, quæ circa accidentalia factorum versatur, non tolleret de se voluntatem rescribentis (positis enim vel non positis illis circumstantiis, princeps eodem modo respondere censendus est), Romanus Pontifex, cap. XX de rescriptis, aperte voluntatem suam hac de re declaravit, ut nempe in pœnam fraudis vel doli mendax precator careat impetratis.

Et hæc de vi rescriptorum dicta sufficiant.

V. Nunc de *rescriptorum duratione.*

Rescriptum, nisi aliter cautum fuerit, seu ad certum tempus concessum fuerit, in perpetuum concessum habetur. Nam ea est rescriptorum indoles ut vel de legum natura participent, prouti sunt rescripta quæ faciunt jus commune, vel saltem legum naturam imitentur in eo quod principis voluntatem produnt, quæ non præsumitur variata quousque variatam fuisse demonstretur. Quapropter quemadmodum lex semel ac lata fuerit eo usque perdurare censetur quousque a principe non fuerit, nec directe nec indirecte, nec expresse nec tacite, abrogata, ita rescriptum semel concessum tantum durat donec a principe revocetur.

Sed in quantum rescriptum specifice differt a lege, habet suos desinendi modos proprios et singulares; nempe non tantum revocatione principis, sed et renuntiatione et morte cessare potest.

Renuntiatione scilicet impetrantis cessat rescriptum quod continet merum favorem vel simplicem utilitatem impetrantis. Notissimi enim juris est quod juri pro se introducto quilibet potest renuntiare.

Morte vero tripliciter cessare potest rescriptum impetrantis nempe, executoris vel rescribentis.

1° Morte *impetrantis;* quæ enim concessa sunt animo

benefaciendi, ad illam, cui concessa sunt, personam restringenda censentur. Defuncta siquidem ista, tanquam causa cessante, cessat et beneficium.

2° Morte *executoris*, quando scilicet executio rescripti commissa est industriæ, idoneitati alicujus personæ; qua defuncta cessat effectus rescripti, modo tamen consideratio dictæ personæ causa fuerit cur rescriptum concessum sit.

3° Morte *rescribentis*, quum nempe res sit integra, i. e. gratia nondum facta fuerit, sed in alterius arbitrio commissa, vel judicium, si de rescriptis justitiæ agatur, nondum initiatum fuerit. Unde, ne morte Pontificis plura rescripta inutilia evadant, novus Pontifex revalidare solet omnia rescripta quæ infra annum a die obitus a suo prædecessore lata fuerint.

§ II. DE DECISIONIBUS SUPREMORUM TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM.

I. In qualibet ordinata republica, plura licet reperiri tribunalia pro personarum, locorum, seu causarum varietate, quorum alia aliis sunt altiora et superiora, ita ut ab unis ad alia detur appellatio, donec ad supremum omnium deveniatur quod principis personam gerit.

Quod in aliis rebus publicis servatur, et in ordine ecclesiastico locum obtinet. Diversa enim in Ecclesia inveniuntur constituta tribunalia, tanquam diversi ecclesiasticæ potestatis gradus, tribunalia scilicet diœcesana, provincialia, nationalia, donec ad ipsum deveniatur Summum Pontificem.

Sed non posset Romanus Pontifex, universalis ecclesiæ sollicitudinem gerens, infinitisque implicatus negotiis, per se cognoscere causas omnes quæ sive in primo sive in ulteriori cognitionis gradu ad suum proponuntur tribunal. Quapropter, reservatis sibi prin-

cipalibus causis, quæ nempe ipsam rempublicam afficiunt, de quibus vel in ordinario cardinalium consistorio, vel in conventu aliorum pastorum deliberet, cæteras causas aliorum cognitioni demandare solet, institutis quibusdam tribunalibus, quæ supremam Pontificis Maximi judiciariam auctoritatem repræsentent; ideoque quod ab illis judicatum fuerit, tanquam ab ipso Romano Pontifice judicatum habeatur.

Horum tribunalium responsa tantam in jure possunt acquirere auctoritatem, ut tanquam expressiones voluntatis principis esse videantur.

De horum tribunalium speciebus primo, deinde de valore, quem in jure obtinent eorum decisiones, breviter disseremus.

1. *De speciebus supremorum tribunalium.*

II. Duo sunt genera supremorum tribunalium ecclesiasticorum : alterum constituitur per *auditorium sacræ Rotæ*, alterum constituunt plures *congregationes* S. R. Ecclesiæ cardinalium. Breviter de utroque tribunalium genere loquemur.

1° Jam diu ab antiquitate consueverunt Pontifices Maximi plurium capellanorum ope adjuvari in definiendis iis controversiis quas sacro cardinalium consistorio non reservabant. Hujus modi capellani quorum numerus erat indeterminatus, nempe ad libitum Pontificis, quique ex omnibus orbis catholici nationibus eligebantur ad hoc ut de singulorum locorum moribus Pontifex instrui valeret, dicebantur *auditores sacri palatii apostolici,* ex eo quod isti capellani, antequam causas sibi commissas Pontifici referrent, illique suffragium et consilium suum præberent, ipsas intra Palatii apostolici ædes audire solebant partes. Inde

repetenda videtur originaria causa sessionis magistri S. P. A. in medio auditorum S. R. in capellis pontificiis.

Sed paulatim obtinuit ut præsentia Pontificis Maximi ab hujusmodi tribunalibus recesserit, et eorum auditorum collegium quodammodo separatum tribunal constituerit quod tanquam supremum Summi Pontificis tribunal repræsentaret. Tunc hujusmodi auditores, cum in gyro, seu in rota, sedere consueverint, tribunal sacræ Rotæ ipsorum nuncupari usuvenit congregatio.

Ipsorum autem numerus qui antea indeterminatus erat, per Sixtum papam IV ad XII præfinitus est, ex quibus VIII ex Italiæ partibus, cæteri vero ex diversis orbis catholici regionibus eligebantur.

III. Cum autem hocce Rotæ romanæ tribunal infinitis pene negotiis, quæ ad ipsum deferebantur, obrutum remaneret, cum scilicet alia tribunalia suprema nondum instituta fuerant, diversa alia tribunalia a Rom. Pontifice, prout temporum circumstantiæ id postulare videbantur, instituta sunt; quod potissimum accidit sæc. XVI, quum scilicet Ecclesia novatorum insidiis subvertebatur. Quæ circumstantiæ suaserunt PP. MM. nempe Paulo III, Pio IV, Sixto V et eorum successoribus, ut quædam instituerentur collegia cardinalitia, quorum singulis aliqua ecclesiasticorum negotiorum species gerenda committeretur.

Unde plures ortæ sunt sic dictæ congregationes, nempe S. Officii, Indicis, episcoporum et regularium, concilii, etc., quæ non tantum de negotiis sibi commissis haberent administrationem, sed et de iis dijudicandis partem non minimam. Et cum istarum congregationum judicium non esset superiori tribunali subjectum, quot congregationes cardinalium tot su-

prema tribunalia in ordine negotiorum reputantur. Unum autem aliis præcellit, congregatio nempe concilii, seu interpretum sacri concilii Tridentini, siquidem illi non tantum negotiorum administratio, nec tantum judicandi defertur facultas, sed et ipsam jus interpretandi, consulto Pontifice, obtinuit provinciam. Unde ejus decisiones aliorum tribunalium supremorum decisionibus præstare videntur.

II. *De vi seu valore quem obtinent tribunalium decisiones.*

IV. Theorema generale : *Decisiones sacræ Rotæ et resolutiones aliarum rom. congregationum de se faciunt jus particulare; per accidens autem possunt facere jus universale.*

Ratio *primæ partis* est quod natura harum decisionum seu resolutionum nihil aliud est nisi natura judicati. Atqui sententia judicialis, qua talis, non egreditur limites illius controversiæ pro qua dirimenda lata est. Ergo hæ decisiones seu resolutiones non faciunt nisi jus particulare, id est jus decisum inter partes contendentes.

Ratio *secundæ partis* tres casus complectitur : 1° si, Romano Pontifice consulto, interpretetur jus commune, quod potissimum obtinet in congregatione concilii, tunc cum interpretatio juris naturaliter ad jus ipsum referatur, interpretatio, sic habita, ita valet sicut interpretatio ab ipso Pontifice Romano peracta.

2° Si talis resolutio continet dispositionem generalem, quæ, Rom. Pontifice consulto, legitime ac publice promulgetur : quod non tantum de S. concilii congregatione, sed et de aliis rom. congregationibus dici potest.

3° Si plures concurrant decisiones S. Rotæ vel aliarum congregationum, quæ quidem pro peculiari-

bus causis vel controversiis latæ fuerint, sed adeo sint inter se conformes, ut jus in supremis illis tribunalibus usu receptum demonstrent.

Cum autem inferiora tribunalia non debeant a superiorum sententia recedere, ne videlicet sententiæ a tribunalibus inferioribus latæ a superioribus revocentur, inde dicuntur hujusmodi decisiones seu resolutiones jus consuetudinarium facere, quod a pragmaticis *stylus curiæ* romanæ vel *praxis fori* solet appellari.

§ III. DE CONCORDATIS.

I. Quemadmodum rescripta, quæ de se non sunt aliud nisi responsa, vel decisiones tribunalium supremorum ecclesiasticorum, quæ de se non aliud sunt nisi judicata, vim tamen legis possunt acquirere, ita et concordata, quæ de se nihil aliud sunt nisi pacta, legum tamen obtinent firmitatem. Ergo postquam de rescriptis et decisionibus tractavimus, oportet ut et de concordatis sermonem faciamus.

Duobus paragraphis tractationem istam absolvemus, in quorum primo brevem de concordatis historicam notitiam texemus; in secundo autem naturam seu valorem eorumdem perpendemus.

I. *Notitia historica concordatorum.*

II. Pro diversis relationibus quæ de facto intercesserunt inter ecclesiasticam et civilem auctoritatem, inter spiritualem nempe et temporalem societatem, tres possunt distingui generales historiæ ecclesiasticæ periodi. Harum prima, quæ ab Ecclesia condita exorditur et usque ad Constantinum Magnum, quarto nempe sæculo, prosequitur, nobis exhibet epocham inimicitiarum inter Ecclesiam et societatem civilem quæ nullo pacto componi poterant.

Causa enim erat fides ex una parte, superstitio ex altera : jam vero cum nulla fingi possit harmonia inter veritatem et errorem, inter lucem et tenebras, inter Christum et Belial, nullum pactum, nulla transactio dari poterat inter imperium et Ecclesiam. Unde talis erat hujus discordiæ natura, ut concordari omnino non posset, sed eo usque perseverare haberet hujusmodi dissidium quo vel ethnica fieret Ecclesia, vel christianæ religionis proselytum fieret imperium.

Illa superstitio adversus Ecclesiam ciebat cruentas persecutiones, quibus ipsa funditus eversa fuisset, si Deus id permisisset, contra quas nihil opponere poterat nisi preces et testimonium sanguinis. Deus enim faciebat, teste Tertulliano, ut sanguis martyrum semen esset christianorum.

Cum autem ipsi imperatores collum Christo subdiderunt, christiana religio in novam periodum impulsa est, quæ nempe a Constantino Magno imperatore initium sumpsit et usque ad Henricum IV Germaniæ regem (sæc. XII) perdurasse videtur.

III. Hæc secunda periodus tempus fuit pacis perfectissimæ et amicarum relationum Statum inter et Ecclesiam, adeo ut si in antecedenti periodo non poterant confingi pacta vel concordata, quia materia circa quam lites movebantur, nempe fides, nullas transactiones pati poterat; in ista, de qua nunc loquimur, periodo, nulla inerat necessitas concordatorum, cum pax perfecta inter regnum et sacerdotium regnabat.

Nam, si præscindamus a peculiaribus controversiis natis inter civilem et ecclesiasticam auctoritatem, causa potissimum hæreticorum, nempe Arianorum, Eutychianorum, Monothelitarum, Iconoclastarum vel schismaticorum orientalium, quatenus hi curabant sibi patrocinium principum conciliare, quod factum est

magis ex fraude horum hæreticorum quam ex malo animo ex parte auctoritatis civilis, imperatores et reges christiani Ecclesiam tanquam matrem suam venerabantur, et illi non tantum libertatem et autonomiam reliquerunt, sed et illam omnimoda temporalium privilegiorum cumulatione condecorare nitebantur.

Sic ergo facies historiæ, hac in re, immutata esse videtur, quod in prima periodo Ecclesia proscripta, in secunda hac, non tantum in jus commune recepta fuit, non tantum a regno civili consortium et tutelam obtinuit, sed tanquam magistra, et, tanquam ipsius societatis civilis vita, in omnes ejus partes influere visa sit. Ea erat imperii gallici, præsertim sub Carolo Magno, indoles, ut reges, cum optimatibus regni una cum episcopis abbatibusque in comitiis adunati, leges ferebant tum ad civile tum ad ecclesiasticum regimen spectantes, quæ *capitularia* nuncupantur. Nec valde absimilis erat forma dirigendi Insulas Britannicas. In Germania, systema feudalismi, quo regiones illæ regebantur, consociabatur ecclesiasticæ hierarchiæ; unde factum est ut qui essent episcopi et abbates, iidem fere essent omnes et principes imperii.

IV. Romæ demum, Pontifices Maximi, quibus imperatores christiani, Byzantium petentes, Romam si non cesserunt, tamen reliquerunt, tanquam connaturale spiritualis potestatis germen, temporalem auctoritatem sibi suscitatam agnoverunt, quam cum imperatorum consensu exercuerunt. Unde factum est quod præsertim sæculis VI et VII, Constantinopolitano imperio, propter interna dissidia barbarorumque incursus, quasi corruente, imperatores rebus italicis amplius prospicere nequibant; Pontifices Maximi ii fuerunt qui non solum romanum territorium gubernarent, sed imo ad eos confluerent Italiæ populi, tanquam ad

unicam civilem auctoritatem, in his regionibus, quæ posset eos tueri et defendere. Unde regnum temporale reipsa obtinuisse visi sunt, cum nominali tantum dependentia ab imperatoribus.

Hæc vero ipsa dependentia, sec. VIII, sub imperatoribus iconoclastis, Leone Isaurico et Constantino Copronymo, rupta est, facto ipsorum populorum qui unanimiter contra hujusmodi tyrannidem insurrexerunt. Unde factum est, circa dimidium hujus seculi, ut Romani Pontifices independens imperium obtinuerint. Quod etiam a Francorum ducibus Carolo Martello, Pippino et Carolo Magno, quum imminebant Longobardi principes, restitutum et ampliatum est, donec anno 800, imperium occidentale, quod sub Augustulo cessaverat, in Carolo Magno redintegratum est a potestate ecclesiastica, cui tuendæ et exaltandæ dedicatum est.

V. Nova efferbuit persecutio novumque bellum excitatum est a sæculi principibus contra Ecclesiam Dei sæculo XI. Principes, non quidem ex odio fidei quam ipsi profitebantur, sed quædam, ut ita dicam, auctoritatis zelotypia moti, Ecclesiam non amplius tanquam matrem venerati sunt, sed illam timere cœperunt tanquam æmulam. Propterea non amplius illi obsequium filiorum exhibere, sed hostiliter insidias contra eam parare cœperunt, ut jura quæ haberet usurparent, divitias quas nacta esset tollerent, ut *moralis* hujus Ecclesiæ auctoritas, quo fieri posset modo, deturbaretur.

Hoc primus attentavit Henricus IV, Germaniæ rex, qui sub obtentu tradendi investituras feudales, quæ episcopatibus et abbatiis in regionibus illis conjungebantur, investiendo per solemnem baculi pastoralis annulique traditionem, jura Ecclesiæ propria sibimet

arrogare visus est. Rex ille, nulla spectata canonica electione, imponebat Ecclesiæ quos vellet prælatos, adeo ut episcopatus haud secus ac principatus civiles sui imperii dispensaret. Graves inde ac diuturnæ ortæ sunt discordiæ inter Gregorium VII et Henricum IV.

Tandem sub Callisto II, Gregorii successore, et Henrico V, dicti Henrici successore, res alio modo composita est. Verum ignis ille qui exarserat, comprimi quidem poterat, nullo autem modo extingui; zelotypia siquidem auctoritatis, quæ concitabat principes contra jura ecclesiastica, sedari aliquantisper potuit, nullo autem modo tolli; imo videtur Deus permisisse ut omnes hæreses, omnia schismata, omnes politicæ revolutiones quæ a sæculo XI ad nos usque successerunt, omnes in id conspirarent ut jura potestatis ecclesiasticæ directo imminuerent, principum autem jura extollerent.

Hoc enim fuit proprium hæreseon atque schismatum ætatis nostræ, non dogmatibus ipsis contradicere, vel de facto obedientiam Ecclesiæ detrectare, sed principium rebellionis contra ejus auctoritatem fovere ipsiusque auctoritatis contemptum propagare. Ita sæculo XII Arnaldus Brixiensis, sub obtentu colendæ paupertatis evangelicæ, seditiones movebat contra possessiones clericorum et monachorum, fovebatque rebellionem populi romani contra Eugenium papam III, aperte docendo Ecclesiæ temporalia jura imminui debere, solis illi relictis spiritualibus juribus. Sic et Waldenses, sub obtentu reprehendendi vitia clericorum, illorum correctiones spernebant ecclesiasticamque auctoritatem imminuere conabantur.

VI. Sæculo XIV Pontifices Maximi, Avenioni sedem suam transferentes, occasionem dederunt schismati

illo in Occidente quod sub Urbani VI pontificatu initium sumpsit. Porro sive translatio residentiæ Pontificum Avenioni, sive dubium de Pontificis persona nihil certe minuebat de intrinseca Pontificis auctoritate ; sed utrumque imminuebat opinionem auctoritatis papalis. Siquidem et ipsorum Romanorum Pontificum dignitas seu splendor auctoritatis quam gerebant, videbatur urbi, cujus titulum episcopalem per se ferebant, alligata; dubium vero de persona Pontificis efficiebat ut Pontificis placita non facile obtinere possint executionem.

Unde cœperunt principes, aliquando motu proprio, aliquando annuente ipso Pontifice vel pseudo-pontifice, sese immiscere negotiis Ecclesiæ ut turbas, exortas occasione competitionis sedis apostolicæ a duobus Pontificibus, per auctoritatem suam sedare procurarent.

Addite propagatos Wiclefii Joannisque Hus errores, qui pariter impetebant clericalem dignitatem, sacrorumque jura et omnem Ecclesiæ auctoritatem. Addite natum, sæc. XVI, Henrici VIII opera, schisma anglicanum; opera vero Lutheri, Calvini, Zwingli aliorumque, protestantismi hæresim. Sive enim illud schisma, sive hæc hæresis, in his duobus potissimum concertare visa sunt ut auctoritatem Ecclesiæ subverterent et principum potestatem in res ecclesiasticas extollerent et confirmarent.

Sæculo item XVII jansenistæ, quodammodo reducentes in systema errores novatorum, seu proponentes eadem principia sub aspectu magis philosophico, ecclesiasticamque auctoritatem, quo poterant modo, exspoliantes, ex altera parte principum auctoritatem circa sacra confirmare studuerunt, ita nempe ut pastorum ecclesiastica auctoritas tanquam a principe facta delegatio haberetur.

Demum processit turba pseudo-politicorum et pseudo-philosophorum, rationalistarumque ac naturalistarum, qui Ecclesiam catholicam tanquam unam de diversis religiosis sectis habentes, illam politico regimine submittendam contendunt, ita ut princeps tanquam centrum constitueretur, unde omnis religionis forma vel species jura haberet. Inde exsurrexit systema illud *atheismi politici*, in quo Status se habet tanquam indifferens ad omnes cultus, quod systema plus minus obtinet hodierno tempore in omnibus rebus publicis.

Porro in hujusmodi novo belli genere quod principum ambitio adversus Ecclesiam excitavit, inveteratum hæresis et schismatis odium, zelotypiaque politicæ auctoritatis nutriit fovitque. Unde factum est quod bellum istud non minus crudele evasit quam primum illud quod a paganis principibus excitatum fuerat, imo pejus ex ea parte qua christiani principes sunt qui dilacerant Ecclesiam, quam tanquam matrem venerari deberent.

Ea autem diversa fuit hujus belli indoles, respectu illius primitivi de quo supra, quod primum pro objecto fidem haberet, quæ nullum pactum nec transactionem sinit, secundum vero versatur circa disciplinam, quæ per quædam temperamenta immutari potest.

Hinc cum talis exorta est alternativa ut vel integra regna et nationes e gremio Ecclesiæ evellerentur et in schisma dilaberentur, vel Ecclesia aliquid de jure suo cesserit, non quidem ipsa jura alienando, sed ipsum jurium exercitium aliquantisper temperando, maluit Ecclesia statum disciplinarem nonnullarum Ecclesiarum modificare quam integra regna fieri schismatica. Maluit principibus exercitium aliquorum jurium delegare, quam sineret ut principes ea motu proprio sibi

vindicarent. Maluit principibus tanquam delegatis uti, quam illos tanquam hostes pati.

De exercitio itaque spiritualium cum principibus pacta est; de temperamento aliquo faciendo convenit, non de ipsis juribus radicaliter sumptis. Ita hujusmodi pactum primus inivit Callistus pap. II, anno 1122, quod celebre pactum callistinum Worsmatiæ conclusum, Bambergæ postea confirmatum fuit, demum in Lateranensi concilio approbatum.

Ita fecerunt et sequentes Rom. Pontifices, magis vel minus concedendo principibus, juxta id quod temporis circumstantiæ requirere videbantur. Siquidem quum, nunquam interrupta gradatione a sæc. XI ad nostra usque tempora, adversariorum Ecclesiæ odium in dies creverit, ita et mansuetudo Ecclesiæ, cui semper ad ampliores descendere concessiones visum est, ne maximum inde animarum periculum oriretur; nunc exordiri videtur nova inimicitiarum phasis quæ forte prima atrocior evadat...

II. *De concordatorum natura et valore.*

VII. Ex tradita concordatorum historia nonnulla inferemus corollaria quæ inservient ad illorum naturam determinare; qua determinatione facta, breviter eorumdem valorem expendemus.

1° *Natura concordatorum.* 1um Cor. *Concordata non sunt absolutæ necessitatis, sed tantum hypotheticæ in Ecclesia.*

Vidimus enim per tria sæcula Ecclesiam floruisse sub paganis imperatoribus, quin tamen ullum concordatum potuisset excogitari, diu effloruisse usque ad sæc. XII sub imperio christiano, quin ulla daretur eorum necessitas.

Tunc solum habere cœperunt rationem suæ exis-

tentiæ, rationem cujusdam utilitatis, vel hypotheticæ necessitatis, quum ita rupta concordia est inter sacerdotium et imperium, ut si ecclesiasticorum jurium exercitium aliquantisper non temperaretur, integra regna schisma minarentur. Ergo positis hujusmodi circumstantiis, concordata habere cœperunt eam opportunitatem vel necessitatem quam de se nullam habent.

2um Cor. *Triplex assignari potest concordatorum causa; altera nempe occasionalis, altera motiva, altera efficiens.*

Occasionalem præbuerunt opiniones contrariæ auctoritati ecclesiasticæ quas vidimus in maximam copiam fuisse hac ultima ætate propugnatas.

Causa *motiva* fuit ambitio principum, qui nempe cœperunt Ecclesiam timere tanquam æmulam et eapropter juribus illius invidere.

Efficiens autem causa fuit ipsius Ecclesiæ materna pietas et sollicitudo, quæ nempe quum posset medium compositionis reperire in temperamento exercitii jurium sibi competentium, hoc maluit arripere quam juribus ipsis cedere, quod inspecta divina institutione minime poterat, vel quam plurium ecclesiarum particularium ruinam permittere, quod maternæ illius obstabat sollicitudini et charitati.

3um Cor. *Finis propter quem concordata inita sunt non fuit directe quidem et absolute utilitas in se*, quæ pro rebus Ecclesiæ sperari poterat in abstracto, sed *ea utilitas relativa et concreta*, quæ sperari poterat si restauraretur vel servaretur concordia socerdotium inter et imperium, quæ semel abrupta erat.

4um Cor. *Medium electum in hunc finem fuit amica quædam conventio*, seu pactum, vel contractus initus inter duas supremas potestates, ecclesiasticam nempe et civilem.

5um Cor. *Objectum demum circa quod hujusmodi pacta seu conventiones versantur, duplex potest distingui. Alterum nempe primarium, immediatum, directum; alterum vero secundarium, mediatum, indirectum.*

Objectum hujus pactionis immediatum fuerunt limites utriusque auctoritatis, limites nempe non in abstracto, quales jure ipso divino determinatæ sunt, sed limites in concreto et de facto, qui nempe dicerent quousque de facto auctoritas Summi Pontificis exerceretur pro moderandis rebus peculiarium Ecclesiarum alicujus regni vel nationis ex una parte, et quousque auctoritas principis ex altera parte, de mandato ecclesiasticæ auctoritatis, rebus spiritualibus se posset immiscere.

Quod autem istud temperamentum exercitii jurium ecclesiasticorum naturaliter redundet in statum disciplinarem illarum Ecclesiarum quæ in illo vel in hoc regno continentur, inde est quod status disciplinaris peculiarium Ecclesiarum, seu determinatio illius status singularis, objectum secundarium constituit hujusmodi pactionum.

VIII. Ergo jam habemus completam rationem seu descriptionen concordatorum quæ sic definiri possunt :

Solemnes pactiones de limitibus auctoritatis inter Summum Pontificem et principes seculares initæ, pro moderamine status disciplinaris peculiarium Ecclesiarum alicujus regni vel nationis, ad pacem reparandam vel servandam inter sacerdotium et regnum. Ita declarata concordatorum natura, nunc de illorum valore.

IX. 2° *De valore concordatorum.* Valor *immediatus* est valor pacti seu contractus; *mediatus* vero est valor legis :

1° Cum igitur concordatum pertineat ad genus pac-

torum seu contractuum, effectus *immediatus* est obligatio contrahentium; et quum contrahentes sese non obligent tanquam personæ privatæ, sed tanquam publicæ personæ, et quidem expressa voluntate, quod valere debeat et servari a successoribus utriusque partis, inde est quod, inito concordato, nascatur obligatio, tum ex parte Pontificis, tum ex parte principis et illorum successorum, servari ea omnia quæ in dicto concordato determinata sunt.

Duplex tamen est casus quo ejusmodi obligatio cessare potest :

Si mutua voluntas contrahentium dissolvat id quod mutua ipsorum voluntate colligatum est.

Si materia pacti evadat physice vel moraliter impossibilis. Nemo enim potest ad impossibile obligari. Materia autem est moraliter impossibilis quando non amplius possit concordari ad utilitatem sive Status sive Ecclesiæ, quam de suo officio, de justitia debet legislator, in ordine suo, promovere.

Hoc in casu, princeps politicus erit judex in quantum sermo sit de utilitate politica; Summus autem Pontifex, quum sermo sit de utilitate Ecclesiæ.

Sed cum utilitas politica subordinari debeat utilitati Ecclesiæ, quæ est superioris ordinis, inde est quod principis potestas non possit sub prætextu utilitatis suæ pactum infrangere, si auctoritas ecclesiastica non judicaverit id respondere utilitati Ecclesiæ. Quod si princeps, promulgato judicio, per se refragetur concordato, occasionem præbet alteri parti ut hujus pacti ab executione abstineat.

2° Alter datur effectus concordatorum, effectus *mediatus* scilicet, ut legem faciant pro omnibus illis Ecclesiis pro quibus inita sunt. Ratio est quod personæ, quæ in hujusmodi contractus conveniunt, non de negotiis

suis peculiaribus, sed de statu sibi subjectæ societatis disponunt, sub ea expressa voluntate ut concordatum tanquam lex debeat ab omnibus servari.

Hæc promulgatio fit a potestate civili; sed tamen, quum ex utriusque auctoritatis conventione hæc lex procedat et pro bono communi tum Ecclesiæ tum Status laici feratur, mutuoque utriusque potestatis consensu firmetur, inde est quod nec prouti mere ecclesiastica, nec prouti mere civilis lex jubenda sit, sed de natura utriusque participans.

Respectu ad provinciam ecclesiasticam vel diœcesim pro qua fertur, tanquam lex ecclesiastica habenda est; respectu autem ad regnum, tanquam lex civilis. Sub primo respectu, notandum est ea, quæ de legibus ecclesiasticis particularibus supra diximus, ad concordata spectare.

X. Cum non possit concordatum unius tantum concontrahentis voluntate detrectari, inde sequitur quod *articuli organici* et alia ejusmodi placita quæ a civili potestate ferri solent, sub obtentu ipsum concordatum interpretandi, minime possunt tanquam ejusdem interpretatio haberi; quia procedunt ab unius auctoritate sine consensu alterius.

CAPUT V.

DE LEGUM ECCLESIASTICARUM REVOCATIONE.

I. Quandoquidem constantia est unum de præcipuis attributis legum, semel ac lex edita fuerit communitati sufficienter manifestata, ejus obligatio perpetua perseverat. Hoc, quod de omnibus legibus dicitur, et legibus nostris competit, et ipsæ eo ipso quod sint leges, perpetuæ et constantes sunt.

Sed pro varia specie legum ecclesiasticarum vario

modo hæc perpetuitas verificatur. Nam perpetuitas propria legum dogmaticarum perpetuitas absoluta est, ita ut nulla unquam auctoritate, nec humana nec divina etiam, lex dogmatica semel ac proposita est, possit modificari. Natura enim harum legum ea est, quod in ipsa intrinseca rerum veritate fundantur. Propterea de veritatis immutabilitate participant.

Sed leges disciplinares ea tantum gaudent perpetuitate qua gaudere solent humanæ leges, quæ nempe semel ac editæ fuerint, eo usque vigere et obligare præsumuntur quousque non fuerint revocatæ. Revocantur autem eadem auctoritate qua latæ sunt, siquidem res iisdem quibus nascuntur causis, et dissolvuntur.

II. Unde hanc theoriam applicando dicemus quod cum summa tum in uno Romano Pontifice, tum in concilio œcumenico sub eo legitime congregato auctoritas reperiatur, ex dictis indifferenter vel per Pontificis constitutiones conciliorum canonibus, vel per canones conciliorum generalium constitutionibus pontificiis derogare fas est.

Sic et statuta legatorum apostolicorum, canones conciliorum sive nationalium, sive provincialium, decreta episcoporum diœcesanorum, vel in synodo vel extra synodum lata, novis statutis legatorum apostolicorum, novis decisionibus sive conciliorum provincialium, novis synodalibus vel episcopalibus decretis modificantur.

Hoc solum animadvertendum est hac in re quod cum in systemate ecclesiastici regiminis, ex jam dictis reperiantur legislatores legislatoribus superiores, inferiorum autem auctoritas virtualiter vel eminenter in superioris auctoritate contineatur, inde fit ut aliquando superioris auctoritate cassari vel obliterari possit lex,

etiam sine facto proprio auctoritatis illius a qua fuerit immediate lata. Sed in genere semper verificatur quod eadem auctoritate qua leges latæ sunt, et dissolvuntur.

III. *Modi* autem quibus revocari potest lex varii distinguuntur, prouti lex revocari possit vel ex integro vel in parte, quoad omnes vel quoad aliquos. Revocatio alicujus legis ex integro tunc accidit quando aliqua lex quoad suas omnes dispositiones aboletur : hæc revocatio dicitur *abrogatio*. Revocatio pro parte fit quando firma manente lege in genere, quoad quasdam suas dispositiones in specie aboletur. Hæc dicitur *derogatio*.

Hæc abrogatio vel derogatio fieri potest quoad *omnes*, vel quoad *nonnullos* de ipsa communitate, pro qua leges feruntur. Si pro universa communitate, fit modis contrariis illis quibus lex pro universa communitate fuit inducta. Sed lex pro universa communitate inducta est vel promulgatione vel consuetudine ; ita pro integra communitate abolitur vel promulgatione contraria quæ *revocationem* audit, vel contraria consuetudine, quæ *desuetudo* vocatur.

Hæc contraria promulgatio seu revocatio duplex esse potest : expressa videlicet vel tacita. *Expressa*, si conceptis verbis promulgetur seu declaretur antiquam legem amplius non obligare vel abolitam fuisse. *Tacita,* si nova lex edatur veteri contraria, quæ nempe cum ea conciliari non possit. Tunc cum contradictoria voluntas imperantis in iisdem rebus esse non possit, consequens est quod si nova producatur, veterem tollat. Proinde cum nova lex edita fuerit cum veteri inconciliabilis, vel lex vetus abrogatur vel saltem illi derogatur.

Desuetudo vero, quæ consuetudini opponitur, debet

habere pro lege tollenda eadem requisita quæ debuit habere ipsa consuetudo pro lege inducenda : contrariorum enim eadem ratio est. Solummodo animadvertendum est quod cum desuetudo contra consuetudinem decertet, non secus ac consuetudo contra legem inducta cum jure præexistenti quod habebat pro se saltem præsumptam principis voluntatem pugnavit, diuturniori indiget tempore ad novum jus inducendum ; requiritur enim ut voluntas principis possit societati innotescere.

Ita vel revocatione vel desuetudine cessat lex pro communitate integra. Sed cessare etiam potest pro nonnullis de communitate, nempe per *dispensationem*, quæ aliud non est nisi provida quædam juris communis relaxatio in favorem nonnullorum a principe, vel per se vel per alios facta, firma tamen manente lege quoad ipsam communitatem : nonnulli a lege eximuntur, et hæc relaxatio fit ob speciales causas.

CAPUT VI.

DE LEGUM ECCLESIASTICARUM SANCTIONE, SIVE DE JURE ECCLESIASTICO PŒNALI.

I. Quamvis lex ex natura sua non dicat necessarium respectum ad præmia vel pœnas quibus cultores vel violatores retribuantur, tamen inspecta hominum conditione, qui spe præmii vel metu pœnæ moventur magis quam virtutis amore, inde fit quod sub hoc respectu lex necessario quemdam nexum habeat cum sanctione legi apposita, ne videlicet si lex sanctione careat saltem pœnali, inutilis et inefficax omnino reddatur.

Hanc necessitatem sanctionis utrumque sive roma-

num sive canonicum agnovit, sed vario modo : jus enim civile romanum cum directum esset ad regimen societatis paganæ, quæ non ex principiis justitiæ et honestatis regebatur, sed unico utilitatis temporalis principio, jus, inquam, romanum tantam censuit esse pœnalis sanctionis necessitatem ut si pœna temporalis legi non esset apposita, qua violatores coercerentur, lex inutilis et inefficax evaderet. Quid enim profuissent leges quarum custodia relicta esset conscientiæ individuorum, ubi populus nulla lege divina instructus, vix opinabatur animam corporis esse superstitem?

Sed Ecclesia, quæ novit eos qui resistant potestati, Dei ordinationi resistere, « non est enim potestas nisi a Deo [1] », æternam autem omnibus manere sanctionem, postquam repræsentari debebimus ante tribunal Christi, ut fiat unicuique secundum opera ejus, Ecclesia, inquam, his imbuta principiis, nullam vidit necessitatem temporalis sanctionis ut lex suum effectum consequi posset. Nam licet temporali destitueretur, æterna gaudebat sanctione.

II. Verum cum non omnes gehennæ metus satis coerceat, ut pœnis temporalibus, æternas pœnas illis præmonstret, eosque ab eis avertat, ideo et Ecclesia temporalibus pœnis usa est.

Hæ vero duplicis generis sunt : aliæ quæ dici possunt *corporales ;* aliæ vero quæ *spirituales* sunt :

Corporales nihil aliud sunt nisi damnum corpore passionis vel privationis propter damnum actionis vel omissionis illatum. Tale genus pœnarum et jus civile habet; proinde Ecclesia iis non utitur tanquam mediis sibi propriis et singularibus, sed tanquam mediis communibus, indirectis et secundariis. Habet enim illa

[1] Rom. XII, 1.

systema pœnarum omnino singularium, nempe pœnarum *spiritualium*. Porro de iis, tanquam de objecto juris nostri proprio, breviter loquendum est.

Ut igitur paucis demonstremus texturam generalem systematis pœnalis Ecclesiæ, considerati in ordine spirituali, breviter loquemur : 1° de pœnarum spiritualium fine; 2° de earum objecto; 3° de gradibus vel modis quibus infliguntur.

§ I. DE POENARUM ECCLESIASTICARUM FINE.

III. Cum finis ecclesiasticæ societatis sit finis ultimus qui non tantum proprius est totius universitatis, sed etiam singulorum, Ecclesia ita suscipit universitatis curam ut tamen et singulorum etiam habeat. Propterea finis infligendarum pœnarum in Ecclesia non est tantum bonum commune, nempe bonum universitatis, exemplum cæterorum qui vident delinquentem pœnas luere, sed etiam, ut si possit, reum emendet vel corrigat.

Ut autem hujusmodi finem obtineat, variis mediis utitur; modo gravioribus, modo mitioribus pœnis delinquentes afficit pro varia delicti gravitate. Unde :

1° Ecclesia sibi proponit *emendationem* rei et *expiationem* delicti, si eam potest obtinere ; quod procurat per quasdam leves castigationes quibus reus dolore suorum delictorum motus voluntarie et libenter se subjicit ut divinæ justitiæ pro meritis Christi satisfaciat. Hujusmodi castigationes, directæ ad emendationem rei, ad expiationem delicti, dictæ sunt *pœnitentiæ*.

2° Quod si reus pœnitentiam deflectat et in suo crimine pervicax induratusque existat, tunc Ecclesia, quæ non potest directe per pœnitentiam obtinere emendationem rei vel expiationem delicti, ad alias recurrit pœnas ad hoc ut delinquens concutiatur, illiusque

confringatur contumacia, unde his territus caput flectat, et auctoritati Ecclesiæ pœnitentiam illi injungentis se submittat.

Hujusmodi secundi generis pœnæ, quæ habent directe pro fine terrorem delinquentis et illius contumaciæ compressionem, dictæ sunt *censuræ*, quarum natura talis est ut finita contumacia seu fracta pervicacia et obstinatione delinquentis, et ipsæ cessent tanquam quæ effectum suum sortitæ sunt.

Etsi Ecclesia delinquentem per has censuras humiliatum, non statim absolvat, non hoc facit quatenus censetur durare censuram fracta etiam rei pervicacia, sed ut probet an vere sit reus emendatus. Unde ex tunc censura haberi potest tanquam pœnitentia medicinalis; et quando reus a censura absolvitur, illius tanquam pœnitentiæ ratio habetur.

IV. 3° Sed si tanta sit rei pervicacia quod per pœnitentiam non possit ad emendationem conduci, per censuras nequeat illius labefactari contumacia, adeo ut illius conversio moraliter impossibilis æstimetur, tunc Ecclesia, cum non possit providere per pœnitentiam utilitati individui pervicacis, incipit prospicere ad bonum publicum, ut nempe societas, universalitas ex malis delinquentium exemplis non corrumpatur.

Hoc facit infligendo pœnas quæ stricto sensu dici possunt tales, quæque non infliguntur nec ad emendationem rei, nec ad expiationem delicti, nec ad terrorem delinquentis, sed ad bonum publicum instaurandum.

Unde, inspecto diverso fine quem Ecclesia intendit in pœnis infligendis, tres earum species, ut vidimus, distingui possunt:

Aliæ dicuntur *pœnitentiæ*, quæ directe ad emendationem rei vel ad expiationem delicti ordinantur;

Aliæ *censuræ* ad labefactandam contumaciam;

Aliæ *pœnæ* ad exemplum publicum.

Primæ si remittantur, dicuntur indulgeri, unde illarum remissio appellatur *indulgentia.* Secundæ si tollantur, dicuntur absolvi, unde illarum relaxatio, *absolutio* nuncupatur. Tertiæ si tollantur, dicuntur dispensari, unde illarum cessatio, *dispensatio* dicitur, vel in pristinum statum restitutio.

Sed variæ nascuntur species sive pœnitentiæ, sive censuræ, sive pœnæ, si illarum consideretur *objectum,* si *gradus,* si *modus*, quo infliguntur.

§ II. DE POENARUM ECCLESIASTICARUM OBJECTO.

V. Objectum pœnarum ecclesiasticarum, si pœnitentias excipiamus, quæ aliquando in facto præstando possunt consistere, generatim loquendo consistit in privatione seu diminutione jurium communionis christianæ; unde antiquitas *excommunicationis* nomen cuilibet speciei pœnarum ecclesiasticarum competere videbatur.

Jam vero communio christiana duplex distinguitur : alia quæ generalis est, nempe *laica communio*, propria quorumlibet christianorum; alia vero communio specialis, clericorum propria, nempe *clericalis communio.* Proinde secundum quod thema privationis sint vel jura laicalia vel jura clericalia, ita et excommunicatio, seu pœna hujus privationis, distingui potest.

Sed jura communionis sive laicalis sive clericalis diversis modis diminui possunt. Nam possunt minui, vel radicitus in se tolli ipsa jura, vel quoad suum exercitium, ita ut, juribus manentibus, eorum auferantur effectus. Utroque sub respectu imminutio jurium vel *totalis* vel *partialis* esse potest, prouti omnia jura tolluntur vel tantum suspenduntur quoad suum exercitium.

VI. Exercitium autem jurium et ipsum dupliciter potest considerari, nempe vel ordine dicto *ad personas* jurium capaces, vel ordine dicto *ad locum* ubi jura ipsa possunt exerceri. Ex his omnibus diversitatibus sub quibus potest considerari hæc privatio seu diminutio jurium communionis christianæ, variæ species resultant pœnarum :

1° Si jura communionis christianæ interdicantur seu prohibeantur in ordine ad aliquem locum, ita ut ibi sacra non possint amplius operari, nascitur illa species pœnarum spiritualium quæ audit *interdictum*, quod infligi contigit plerumque ob grave aliquod facinus, de quo communitas aliquo modo participat.

Hoc autem vel *partiale* dicitur vel *generale : partiale*, si ad unam Ecclesiam seu ædem sacram restringatur ; *generale*, si ad Ecclesias omnes quæ in aliquo territorio continentur extendi debeat.

Quo casu, ne innocens cum animæ suæ periculo de communi pœna participet, plures ipso jure dantur exceptiones ut ea sacra quæ necessitas vel gravis animarum utilitas postulat, possint operari.

2° Si vero consideratur exercitium jurium in ordine ad personas, sub pœna mulctatas, et aliæ duæ nascuntur species pœnarum spiritualium ecclesiasticarium, quarum altera *clericalis*, altera *laicalis* communionis est proprium.

Si enim suspendatur seu minuatur exercitium jurium clericalium, seu prohibeatur ne aliquis clericus jura exerceat quæ sibi competunt ratione status clericalis, tunc ea species pœnæ spiritualis quæ usuvenit dici *suspensio*. Dicimus usuvenit, quia nomina hæc, sic stricte sumpta, vaga reperiuntur in antiquitate, ita ut indifferenter altera pro altero usurpata inveniantur.

Hæc suspensio et ipsa distinguitur in *totalem* et *par-*

tialem. Totalis est si minuatur integrum exercitium jurium clericalium; partialis, si nonnullorum tantum exercitium prohibeatur.

Cum autem jura clericalia sint varia, partialis horum privatio in inferiores etiam classes potest distingui :

Si vero suspendatur seu minuatur exercitium jurium communionis laicæ, quæ cuilibet christiano competit, ut christianus, tunc pœna dicitur *excommunicatio* in specie. Et hæc excommunicatio distinguitur in *majorem* et *minorem.* Major tollit integrum exercitium jurium communionis christianæ; *minor* tollit tantum nonnullorum jurium exercitium.

Media vero intercedit, inter majorem et minorem excommunicationem, quædam excommunicatio, cujus intuitus est tantum prohibere aliquem christianum ab ingressu Ecclesiæ ; quæ excommunicationis species, comparatione facta ad interdictum , cujus intuitus est tollere ab æde sacra functiones seu sacra solemnia, dicitur *interdictum*, sed cum addito *personale.* Et hoc interdictum personale aliquando concurrit cum interdicto locali, quo casu audit *mixtum.* Hæ species considerantur in ordine ad solum exercitium , tum quoad locum, tum quoad personas.

VII. Sed possunt etiam ipsa jura penitus auferri, non tantum ipsorum exercitium suspendi, ita ut christianus vel clericus non amplius in christiana Ecclesia vel in albo clericorum existere reputetur. Clericus non tantum interdictus est in ordine ad exercitium jurium clericalis ordinis, sed etiam non amplius considerari potest ut clericus ; et aliquando etiam nec clericus nec christianus; laicus pro non christiano tenetur.

Porro, si minuantur jura ipsa communionis clericalis, pœna tum dicitur *depositio* seu *degradatio* (quasi depositio de gradu).

Hæc etiam habet suas species : nam in specie dicitur *depositio*, pœna quæ tollit clerico omnia jura communionis clericalis; sed duo integra illi relinquit privilegia quæ, ut dicemus, sunt privilegium *canonis* et privilegium *fori*.

Degradatio autem in specie distinguitur in *verbalem* et *realem*. *Verbalis* est ipsa sententia degradationis; *realis* est sententiæ executio. Sed in eo differunt quoad effectum, quod sola verbalis tollit privilegium fori, sed adhuc residuum est clerico privilegium canonis. *Realis* vero et illud residuum privilegium etiam tollit, ita ut per eam reducatur clericus omnino ad communionem laicam. Clericus, etsi quoad officia semper clericus sit coram Deo, tamen ut clericus non amplius habetur respectu ad societatem ecclesiasticam.

VIII. Sed etiam jura laicalia tolli possunt; tolluntur *anathemate*, prout anathema distinguitur ab excommunicatione majori : aliquando enim promiscue usurpantur. Anathematis enim stricto sensu sumpti effectus, ille est qui tollat radicitus in se jura communionis christianæ, quasi Ecclesia per excommunicationem majorem experiatur an christianus reduci possit in obedientiam; dein ut de illius conversione desperat, illum omnino eradit ac aufert ex albo christianorum, nullaque ei jura relinquit.

Hæc autem pœna gravissima est; infligi tantum solet in casu hæresis, quando facto nostro extra Ecclesiam nos collocamus; vel in casu eorum qui per annum integrum insordescentes, ut dicitur, sine mœrore in excommunicationis censura contemnunt, parvipendere visi sunt ecclesiasticam auctoritatem, et per hoc de hæresi suspecti redduntur, quasi non credant ecclesiasticam auctoritatem posse illos ab Ec-

clesia removere; quo casu, siculi de crimine hæreticorum participant, ita et de pœna illorum.

§ III. DE VARIIS MODIS POENAS ECCLESIASTICAS APPLICANDI, SEU DE HARUM POENARUM SPECIEBUS RESPECTU AD GRADUM VEL MODUM QUO INFLIGI SOLENT.

IX. Pœnæ ecclesiasticæ, consideratæ in ordine ad modum quo solent infligi, alias etiam distinctiones seu species admittunt.

Aliæ enim dicuntur *a jure* latæ, aliæ vero *ab homine*. Pœnæ a jure latæ dicuntur quæ lege ipsa fuerunt comminatæ, determinatæ seu statutæ, in eos qui legem transgressi fuerunt. Legi æquiparatur hac in re præceptum superioris legitimi, qui si potestatem habeat pœnas ecclesiasticas infligendi, potest per eas præceptum suum communire. Sola distinctio est illa quæ intercedit inter legem et præceptum, quatenus lex universam respiciat rempublicam, præceptum autem personam singularem seu singulos de communitate vel singulare collegium.

Dicuntur autem *ab homine*, quæ per sententiam judicis ecclesiastici pro criminibus admissis, delinquenti inferuntur.

X. Quæ autem sunt a jure, et ipsæ dupliciter distingui possunt : aliæ nempe dicuntur a jure, sed *latæ sententiæ;* aliæ vero a jure, sed *ferendæ sententiæ.* Pœna *latæ sententiæ* ea est quæ ipsius legis ministerio infligitur, seu vix admisso crimine, eo ipso delinquens pœnæ subjacet, quin ulla requiratur sententia judicis.

Quod si aliquando aliqua sententia judicis est necessaria, ea nihil aliud facit nisi factum declarare, seu judicare factum esse admissum : quo posito, per necessarium corollarium, pœna ministerio legis inflicta censetur.

Dicuntur autem a jure, sed *ferendæ sententiæ*, quando jus pœnam quidem determinat, sed non de se infligit; vult enim ut ministerio judicis infligatur. Propterea lex potius videtur judicem obligare ut ferat sententiam, quam reum ut pœnæ subjaceat. Reus, licet admisso crimine, remaneat pœnæ obnoxius quousque tamen judex eum pœna mulctet, pœna non tenetur.

§ IV. DE POENARUM ECCLESIASTICARUM GRADIBUS.

XI. Cum systema pœnarum ecclesiasticarum, ut præmonuimus ab initio, non tantum directum sit, sicut in civilibus accidit, ad salutem publicam, sed etiam ad salutem ipsius delinquentis, inde accidit quod gradus pœnarum non tantum demetiatur juxta criminis atrocitatem, quantum juxta varias affectiones ipsius delinquentis.

Quo posito, fit ut ordinarie loquendo Ecclesia non veniat ad pœnas graviores si per mitiores possit intentum suum, nempe emendationem delinquentis obtinere; non venit, v. g., ad censuras infligendas, si possit per pœnitentias emendationem rei obtinere, nec ad pœnas, si possit censuris rei contumaciam coercere; similiter non aufert statim jura generalis communionis christianæ, si habeat jura specialis communionis clericalis quæ antecedenter auferre possit. Non minuit jura quoad se, si possit per simplicem suspensionem exercitii eorum, effectum suum obtinere, nec omnia statim suspendit jura, si partialis quædam imminutio exercitii eorumdem jurium videatur sufficere.

Iste est processus ordinarius quo Ecclesia a mitioribus ad gravissimas pœnas ascendit : qui processus tamen non impedit quominus aliquando, prætermissis mitioribus pœnarum gradibus, ad atrocissimas prœnas

statim deveniat, v. g., ubi periculum sit in mora, seu publica fidelium salus ulteriorem amplius moram non patiatur, vel ubi pœnis exasperatis sperari potest quod melius delinquens coerceatur, vel ubi qui deliquerunt terrore gravis pœnæ perculsi, facilius ad cor redeant.

SECTIO II.

DE LEGIBUS SENSU IMPROPRIO ACCEPTIS, NEMPE DE CODICIBUS SEU COLLECTIONIBUS LEGUM ECCLESIASTICARUM.

Juris ecclesiastici perscrutari origines, evolvere historiam, distinguere species, æstimare auctoritatem, catalogum texere, res esset utilissima, ut intima, pro iis qui sacræ eruditionis studiis vacant, horum detur cognitio, quæ tamen nos ab institutionum nostrarum scopo averterent. Limites enim quibus coarctantur haud sinunt nos per hujusmodi indefinitum eruditionis ecclesiasticæ campum pervagari. Sufficit ut illorum tantum notitiam præbeamus, quæ ignorare nefas esset iis qui vel a limine scientiam illam salutare sibi proponunt, ad hoc scilicet ut cognoscere possint loca ubi leges quibus utimur ab ipsis inveniantur.

Tractationem ergo nostram de codicibus vel collectionibus juris ecclesiastici coercemus ad illas tantum quæ majorem celebritatem nactæ sunt, quæque scitu magis necessariæ sunt ut juris quo utimur hodie, sufficiens habeatur notitia. Hoc præstabimus sequendo ordinem vulgatissimum inter auctores, quo scilicet dividuntur hæ collectiones in tres classes secundum

notissimam illam ipsius juris divisionem, *veteris, novi* et *novissimi.*

Prima itaque complectitur collectiones quæ ab Ecclesia condita ad sæculum usque XII, quando celebris ille Gratianus suum compilavit decretum seu *concordantiam discordantium canonum.* — Secunda incipit a dicto Gratiano et desinit ad concilium Tridentinum. — Tertia pergit a concil. Tridentino ad nostra usque tempora.

Agemus ergo distinctis capitibus de tribus hisce collectionum canonicarum classibus, ordine quo supra.

CAPUT PRIMUM.

DE COLLECTIONIBUS JURIS VETERIS.

Notandum est quod pro hac prima epocha, difficillimum sit uniformem et generalem sacrorum canonum codicem reperire; difficilius vero hunc, si quis etiam forte fuerit, ex vetustatis latebris posse deducere. Unde fit quod institutionum juris canonici auctores, hujus ætatis collectiones in duas classes dividunt, in collectiones Græcorum et Latinorum.

Hunc sequentes ordinem, in procemium nostræ tractationis, agemus de auctoritate illius collectionis quæ sub apostolorum nomine usuvenit, de *constitutionibus* nempe et *canonibus apostolorum.*

ARTICULUS PRIMUS.

DE CONSTITUTIONIBUS APOSTOLICIS.

I. Inter vetera juris ecclesiastici monumenta, unum prostat celeberrimum, hoc opus VIII libris distinctum.

Primi sex libri continent brevem synopsim vitæ

christianæ, seu vitæ christianæ secundum jus. Reliqui duo, septimus scilicet et octavus, habent varias præscriptiones liturgicas et morales. Postremo denique capite libri VIII subnectitur quidam catalogus, constans secundum alios codices, quinquaginta, secundum alios, octoginta quinque brevibus sententiis quæ hunc titulum habent : *Canones SS. Apostolorum per Clementem Romanum, a B. Petro ordinatum Episcopum, editi.*

Sed titulus hic speciosus qui difficultatem non fecit typographis, eam creavit eruditis : siquidem res est plena controversiis, definire hujus operis auctorem, et auctoritatem æstimare. Cum vero eadem omnino non sit sententia quæ debeat retineri quoad constitutiones et quoad canones apostolicos, inde seorsim disseremus : 1° de constitutionibus, 2° de canonibus apostolicis.

§ I. DE CONSTITUTIONIBUS APOSTOLICIS.

II. Omnia argumenta sive intrinseca, sive extrinseca apostolis auctoribus hujusmodi constitutiones abjudicant : *intrinseca* enim quæ petuntur a doctrina, tum dogmatica, tum morali, tum disciplinari, tum historica hujus operis ; *extrinseca* quæ desumuntur ex testibus ipsi operi extraneis, qui illius dant judicium.

1° Inter illa quæ ex *dogmatica parte* erui possunt argumenta sequentia citabimus :

Hujusmodi constitutiones videntur male sentire de divinitate Filii et Spiritus Sancti.

Permittunt ancillis ut libidini dominorum suorum inserviant, jubent ut iteretur baptisma ab hæreticis collatum. Et ita porro :

Hæc cum abhorreant a doctrina apostolorum, manifestum est ad minus vitiatos fuisse codices qui talia exhibent.

2° Quoad *partem disciplinarem*, potest afferri præscriptio jejunii die dominica sicut die sabbato, quod sapit schisma judaïzantium.

3° Ita et *quoad historiam*, satis erit illud innuere : præbent istæ constitutiones Jacobum Zebedæi tanquam præsentem concilio Jerosolymitano, quem constat ex c. XII Act. jam gladio Herodis interfectum fuisse.

Plane ergo argumenta intrinseca hoc opus apostolis abjudicant. Sed etiam *argumenta extrinseca* hoc faciunt.

Accedunt Patres I, II et III sæculi, ut Justinus, Iræneus, Cyprianus, Tertullianus, Origenes, Clemens Alexandrinus, etc., qui de hoc opere tacent omnino; licet occasionem habuerint illud allegandi, attamen non fecerunt.

Primus inter Patres qui de hujusmodi opere mentionem faciunt, est Epiphanius, qui sub fine sæculi IV hoc opus (hær. 70) citat, non autem tanquam opus apostolorum, sed tanquam ad disciplinam ecclesiasticam pertinens, et nihil habens a fide et disciplina tunc vigenti alienum. Unde colligere fas est jam fuisse a III et IV sæculo hujusmodi librum compositum tanquam primas, ut ita dicam, institutiones juris canonici, quæ nempe complexio forent totius juris ecclesiastici, illumque fuisse adhuc integrum tempore Epiphanii qui, licet hujusmodi librum non retineat tanquam apostolorum, retinet tamen tanquam compendium totius ecclesiasticæ disciplinæ.

Sed deinde hæreticorum et schismaticorum fraudibus corruptum fuit; cujusmodi indicium est allata ab Epiphanio loca quibus vel non respondent textui quem nos præ manibus habemus, siquidem loca allata amplius non leguntur, vel diversum omnino sensum

præbent, quem apud Epiphanium retinent. Unde de auctoritate hujusmodi primæ collectionis colligitur quod nempe Constitutiones quæ dicuntur apostolorum, ubi non constat fuisse hæreticorum aut schismaticorum fraude aut ex amanuensium errore vel ignorantia vitiatas, possint præbere argumentum ecclesiastici dogmatis, quale dare possunt monumenta quæ III vel IV sæculo tribuuntur.

§ II. DE CANONIBUS APOSTOLORUM.

III. Gravior exstat difficultas de canonibus qui dicuntur apostolorum.

Quod in cæteris controversiis contingit ut inter duplicis opinionis contrariæ extrema dimicandum sit, hoc etiam in quæstione de auctoritate canonum apostolorum verificatur. Alii enim nimis creduli, uti fuit Turrianus, inter recentiores, non dubitarunt vindicare hisce canonibus auctoritatem apostolicam, defendere omnes fuisse ab apostolis constitutos et genuinos sincerosque asservari. Sic, apud antiquos, Joannes Damascenus eo usque progressus est ut hanc collectionem canonum apostolorum inter canonicas scripturas recensere non dubitaverit.

Alii e contra, ut Dallæus, e calvinianorum secta, qui nolebat tantam hisce canonibus concedere auctoritatem vetustatemque, defendere conatus est hujusmodi canones non multo ante annum 494, seu circa finem sæculi V, a quodam Græco hæretico fuisse omnes confictos et sub nomine apostolorum evulgatos.

Jamvero utraque hæc opinio extrema vitanda est: prima quidem, quia habet contra se plura, tum *interna*, tum *externa* argumenta, quæ hujusmodi canones apostolis auctoribus necnon Clementi Romano editori abjudicant.

IV. Interna argumenta petuntur tum ex dogmatica, tum ex disciplinari doctrina quæ in hujusmodi canonibus reperitur :

Ad doctrinam *dogmaticam* quæ spectant, habemus canones 45 et 46 (seu juxta alias editiones, 46 et 47), qui jubent : *deponendum esse clericum qui vere baptizatum rebaptizaverit, vel pollutum ab impiis non baptizaverit, utpote non distinguentem inter sacerdotes veros et impostores, inter Christum et Belial,* qui certe sive ratione sententiæ quam proferunt, sive ratione modi quo proponuntur, videntur hæresim rebaptizantium sapere.

Ita habemus canonem 84 (vel 85) qui proponens catalogum sacrarum Scripturarum, non solum non recenset quasdam scripturas deuterocanonicas, sed quod magis est, in earum loco recenset ut canonicos, agiographorum quosdam libros, quos Ecclesia ut inspiratos nunquam habuit. Ita non duos, sed tres novit Machabæorum libros; inserit inter agiographos duas epistolas Clementis; et quod pejus est, illas constitutiones apostolicas de quarum auctoritate modo disseruimus. Ergo fides his canonibus expressa, fides apostolorum non est; fides enim apostolorum fidei Ecclesiæ contraria esse nequit.

Evidentius res patet ex doctrina *disciplinari* horum canonum. Hæc autem disciplina potest considerari tum quoad se, an nempe in seipsa inspecta, rationabilis sit, vel comparata temporum adjunctis, an scilicet cum ipsis possit conciliari. Porro sub utroque respectu, apostolorum esse nequit.

Nam ad primum quod spectat habemus canonem 16 (vel alias 17) qui præscribit : *deponendum esse clericum vel excommunicandum laicum qui vel die sabbati, vel dominica jejunaverit,* una eadem regula de utroque die statuens. Hoc non consonum est sententiæ consti-

tutionum apostolorum, uti vidimus. Cultus autem ipsius sabbati errorem judaïzantium sapit; dum scimus ex epist. Innoc. I ad Eugubinensem episcopum, Romanos consuevisse jejunare die sabbati.

Pariter canon 65 (vel 66) coarctat notionem bigamiæ ad duplex matrimonium contractum post baptismum, dum scimus e contra ex S. Paulo (I ad Tim. III, 2) bigamos, seu eos qui duas habuerint uxores, nullo modo ordinandos esse, non solum illos qui post baptismum bigami effecti sunt, sed et bigamos qui antea taliter erant. Ergo disciplina quæ proponitur, non est rationabilis juxta principia quæ professi sunt apostoli.

V. Multo minus rationabilis si comparetur adjunctis temporum, nempe ætatis apostolorum, siquidem isti canones nullam produnt disciplinam quæ referri possit temporibus apostolicis, seu Ecclesiæ nascentis exordiis. Nil commune habet cum iis quæ in Actibus apostolorum apparent definita; sed potius indicant definitas plures quæstiones quæ nonnisi post apostolorum tempora motæ sunt, vel plura alia docent quæ ætati apostolorum non conveniunt. Ita, v. g., can. 7 (vel 8) decernit festum Paschæ non esse celebrandum cum Judæis, ante scilicet æquinoxium vernum, quod manifeste positum est ad dirimendam quæstionem quartodecimanorum, quæ II° Ecclesiæ sæculo excitata est.

Ita canon 21 (vel 22) prohibet ne ad sacros ordines promoveatur ille qui se mutilaverit: cui canoni condendo videtur occasionem præbuisse factum Origenis. Ita canon 29 (vel 30) prohibet ne episcopi familiaritatem habeant cum magistratibus sæcularibus, ne per illorum favorem ad Ecclesias promoveantur, quod prorsus ridiculum fuisset tempore apostolorum,

quando magistratus persequebantur Ecclesiam. Canon 36 (vel 37) statuit ut bis in anno habeantur synodi episcoporum ; sed tempore apostolorum id impossibile fuisset. Canon 49 (vel 50) statuit ut baptisma per triplicem immersionem sub distincta significatione trium personarum S. Trinitatis, conferatur, et non simpliciter in morte Domini. Quod videtur ad hæresim Eunomianorum alludere. Statuunt etiam ut qui lapsi sunt, recipiantur in pœnitentiam, quod videtur contra schisma Luciferianorum statutum. Pariter in aliis fit mentio de ordinibus, et quidem diaconatui inferioribus, præsertim de ostiariis et lectoribus, de bonis episcoporum distinguendis a bonis Ecclesiarum, de oleo in candelabro, vel de thure ad oblationem in sacrificio offerendo, quæ omnia non conveniunt temporibus apostolorum.

Unde sequitur hanc completam collectionem canonum apostolicorum, nec apostolis auctoribus, nec Clementi editori tribui posse; itaque falsa est manifesto sententia quæ illam ad apostolos absolute refert.

VI. Non tamen inde sequitur veram esse sententiam directe oppositam : nam licet hæc collectio canonum apostolorum, prouti habetur completa constans 85 canonibus, in lucem forsan non prodiit nisi sub fine sæculi V, non tamen omnes hujusmodi canones per id temporis videntur esse confecti, ut contra Dallæum ostendit Wilhelmus Beweregius anglicanus, videlicet antiqua Ecclesiæ concilia habita III vel IV sæculo ad hujusmodi canones apostolicos appellasse : non vocant quidem hos κανωνες των αποστολων, sed significantur ab iis tanquam κανωνες της Εκκλησιας, κ. των πατερων, etc., vel canones antiqui, vetustissimi ; ex quibus colligi potest quod jam a I° vel II° Ecclesiæ sæculo hujusmodi canones traditione acceptos fuisse.

Unde tenenda est quædam media sententia, quam proponunt fratres Bellerini in appendice ad tom. III, Op. S. Leonis Magni. Revera apostoli quasdam regulas seu canones tradiderunt nascenti Ecclesiæ: hi fuerunt successu temporum, tum traditione servati, tum scripto traditi; sed ii canones fortasse pauci fuerunt, quibus successores apostolorum pro temporum opportunitate alios addiderunt, non variato titulo primitivo canonum apostolorum, prouti ephemeredibus vel diariis contingit; et sic canones de die in diem creverunt.

Si autem et hæretica et falsa sub illis canonibus recensuerint, hoc videtur ob amanuensium ignorantiam vel ob malitiam collectorum factum fuisse, qui non distinxerunt inter concilia legitima ac orthodoxa et conventus hæreticorum vel schismaticorum; sic quosdam canones ab iis confectos inseruerunt in catalogo apostolicorum canonum, qui die quotidieque crescebat. Quod satis confirmatur ex eo quod nonnulli codices, inter quos illum quem dedit Dionysius Exiguus, habeant 50 tantum, alii 85 hujusmodi canones exhibeant; cujus discrepantiæ ratio videtur esse, quod collectores alii plus, alii minus primitivæ collectioni addiderunt.

VII. Si autem quæratur ratio ob quam hæc collectio Clementi Romano tribui solet, adest conjectura Berhardii, qui in sua critica ad decretum Gratiani suspicat Clementem Alexandrinum fortasse quamdam hujusmodi collectionem perfecisse vel facere incœpisse.

Hæc conjectura videtur firmari testimoniis Hieronymi vel aliorum ecclesiasticorum scriptorum, qui dicunt Clementem Alexandrinum de canonibus ecclesiasticis etiam egisse : quo posito, facile inferri potest quod forte ex amanuensium ignorantia, qui

cum legissent canones illos esse apostolicos, nomen Clementis Romani pro Alexandrino posuerunt; postea titulum ita compositum fuisse deduxerunt collectores et auctores subsequentes.

Ita explicata hujus operis origine, unusquisque videt quænam sit conclusio practica de auctoritate illorum canonum apostolicorum; possumus itaque hanc regulam practicam proponere de auctoritate hujus collectionis :

Licet omnes apostolicam non habeant auctoritatem, tamen ubi non constat ignorantia vel fraude fuisse vitiatos, ostendunt disciplinam IV, III vel II sæculi, aliquando etiam apostolicam.

ARTICULUS II.

DE COLLECTIONIBUS GRÆCORUM.

I. Inter veteres Græcorum collectiones quæ hodie supersunt, quatuor videntur celebriores esse, vel saltem sine magnis controversiis ab eruditis admissæ; nempe : 1° collectio quam Joannes Doujatius in prælectionibus canonicis adscribit Theodoreto Cyrenæo ; 2° collectio Joannis Antiocheni cognomento Scholastici; 3° collectio Patrum Trullanorum; 4° collectio Photiana, seu a Photio composita.

Breviter igitur dicemus : 1° de historia; 2° de aucritate harum collectionum.

§ I. DE HISTORIA COLLECTIONUM GRÆCARUM.

1. *De collectione Theodoreti.*

II. Theodoretus episcopus cyrenensis, uti æstimat Doujatius, ille nempe cujus scripta damnata sunt in V concilio generali, in causa trium capitulorum, si fides habenda est quibusdam manuscriptis a Doujatio

allatis, videtur composuisse quamdam collectionem canonum, quæ edita fuit circa finem sæculi V. Hæc constabat 207 canonibus variorum conciliorum orientalium, nempe : Nicæni, Ancyrani, Neo-cesariensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodicensis, Constantinopolitani I, et Chalcedonensis.

Præter hujusmodi 207 canones, qui reperiuntur etiam in alia collectione quam edidit Christ. Justellus Parisiis anno 1610, sub titulo *Collectionis canonum Ecclesiæ universalis*, quæ ex antiquioribus collectionibus collecta fuisse videtur.

Hisce canonibus adjecit ipse Theodoretus canones apostolorum et canones concilii Sardicensis. Nam licet hoc concilium Sardicense in Orientis partibus celebratum sit, et quidem paulo post concilium Nicænum, attamen cum hoc concilium potissimum fuerit absolutum ab episcopis Occidentis, habebatur penes Latinos tanquam ipsius concilii Nicæni appendix; sed illius canones penes Orientales non sat erant vulgati.

Sed cum Theodoretus Cyrenensis, ob quæstiones quas passus erat in synodo Ephesina II cum Dioscoro Alexandrino, a quo fuerat a sede sua dejectus, fretus canonibus Sardicensibus qui admittebant ad Romanum Pontificem appellationes, ad Leonem Pontificem appellavisset, ab eoque fuisset in communionem receptus et in sedem restitutus, et demum imperiali decreto et concilio Chalcedonensi irreformabili judicio definitivoque fuerit in pristinum locum restitus, quasi grati animi videtur voluisse vulgare penes Orientales hujusmodi canones a quibus tantum acceperat beneficium.

II. *De collectione Joannis Antiocheni.*

III. Altera collectio quæ dicitur Joannis Antiocheni prodiit circa medium seculi VI. Erat hic Joannes cogno-

mento *Scholasticus,* quidam advocatus seu causarum patronus (vocabantur enim hi scholastici), qui anno, ut fertur, 570 novam elaboravit collectionem canonum, novoque ordine dispositam. Siquidem anteriores collectiones omnes sequebantur ordinem chronologicum in recensendis nempe canonibus qui in his continentur. Hic vero prior ordinem rerum secutus est, et juxta varios titulos juris ecclesiastici documenta digessit.

Secutus videtur hac in re industriam Triboniani, juris romani periti, qui jussu Justiniani imperatoris *Pandectas* elaboravit. Nam sicut Tribonianus in 50 libros distribuit Pandectas, ita et Joannes in 50 titulos collectionem suam divisit; et in materiæ distributione, eamdem analogiam, quantum fieri potuit, servare curavit.

IV. Placuit hoc opus genio ætatis illius, placuit et imperatori Justiniano, qui tunc operam dabat ut jus romanum restauraretur. Unde gratiam imperatoris nactus Joannes, rejecto Eutychio antistite religiosissimo, imperatoris opera in sedem Constantinopolitanam intrusus est.

Tunc ut gratiam magis ac magis apud imperatorem captaret, vel acceptam retineret, codici a se composito de jure ecclesiastico, imperiales etiam leges adjecit. Unde podiit primus *Nomocanon*, seu prima illius generis collectio, quæ scilicet utriusque potestatis leges comprehendat, canonicas nempe et civiles; *Nomocanon* appellatur, a νομος, i. e., lex, et κανων.

III. *De collectione Trullana.*

V. Collectio Trullana ea est quæ confecta et approbata fuit a Græcis in concilio Trullano ; fuit quoddam concilium habitum circa annum 692 in trullo, seu in secretario palatii imperatoris : unde usu venit ut Trul-

lanum appellaretur. Hoc autem concilium habitum fuit animo supplendi defectus concilii V[i] et VI[i]; generaliter etiam *quinisextum*, vel *quinisexta synodus*, vocatum est.

Hæc collectio plus minus constat documentis omnibus quibus constant anteriores, videlicet : 85 canonibus apostolorum; deinde canonibus conciliorum orientalium, quibus additæ sunt quædam episcoporum epistolæ, et acta cujusdam concilii particularis, quæ in anterioribus collectionibus non recipiebantur.

Sed illud notandum est quod ubi in pristinis collectionibus reperiebantur canones Sardicenses, non autem canones Africani ; hic vero ab hac collectione expuncti sunt canones Sardicenses, et eorum loco 133 canones Africani de latino in græcum translati, in hac collectione intrusi sunt.

Ex quo apparet animus Patrum Trullanorum qui jam ad schisma proclives erant. Rejectis enim *cononibus Sardicensibus*, in quibus admittebantur appellationes ad Romanum Pontificem, eorum loco recensuerunt *canones Africanos,* inter quos habebantur etiam canones Cypriani, qui dissentiendo a Stephano Papa, damnabat omnino baptisma ab hæreticis collatum.

Unde videtur illos expunxisse canones veros ut sibi nempe proponerent exemplum dissidendi a sede romana, et fovendi schisma quod sæculo V jam imminebat inter Romanum Pontificem et Patriarcham Constantinopolitanum, et demum sub Photio conclusum est.

IV. *De collectione Photiana.*

VI. Quarta demum collectio, celebris inter Græcos, fuit Photiana. Photius sæculo IX, rejecto Ignatio Constantinopoli episcopo, gratia fretus Michaelis im-

peratoris, in sede constantinopolitana intrusus est. Et licet ab ea Nicolai I[i] Romani Pontificis opera fuerit depositus, tamen iterum eam voluit occupare, et sic antiquum schisma Ecclesiæ græcæ fuit absolutum.

Hic etiam et suam fecit collectionem, in qua etiam recensuit plus minusve documenta Trullana; habet etiam canones latos a pseudosynodo constantinopolitana contra Ignatium; et ad imitationem nomocanonum, seu ad exemplum Joannis Antiocheni, præter monumenta ecclesiastica, recepit etiam leges a civili potestate latas.

§ II. DE COLLECTIONUM GRÆCARUM AUCTORITATE.

VII. Licet maxima fuerit sedulitas, maximus želus veterum antistitum græcorum in colligendis canonibus ecclesiasticis, maximusque horum codicum usus, fateri tamen debemus, antistites græci jam tunc a sæculo V in schisma proclives se præbuere, ut factum est sub Anatolio, episcopo constantinopolitano, quando usurpare cœpit primatum in Ecclesia; vidimus synodum Trullanam schisma fovisse, quod demum in synodo Photiana completum est et absolutum.

Gravem igitur corruptionis suspicionem codices canonum in hisce regionibus confecti, præbent. Etenim jam ab actione XVII concilii Chalcedonensis notabat legatus Romani Pontificis penes Græcorum exemplaria, interpolatum jamdiu fuisse canonem VI[um] concilii Nicæni, in quo jura patriarchatus definiebantur. Quod si vero huic rationi et aliam adjiciamus specialem desumptam ex animo variorum collectorum, inveniemus Theodoretum Cyrenensem, fautorem hæresis Nestorianæ, Joannem Antiochenum et Photium, utrumque invasorem sedis Constantinopolitanæ, qui ambo leges

sæculi cum canonibus Ecclesiæ conjunxerunt ut potius gratiam imperatoris captarent quam ut essent de jure ecclesiastico bene meriti. Propterea de harum collectionum auctoritate hos canones proponemus :

VIII. *Canon* 1us. Græcæ collectiones cæteris sunt anteferendæ in quantum majori præstant vetustate, et dispositiones Ecclesiæ referunt juxta linguam originalem et primitivam in qua confectæ sunt.

Canon 2us. Sed cum penes Græcos videamus animum ad schisma proclivem, si quid legimus in his collectionibus quod causæ schismatis favere possit, cum summa cautela recipiendum est.

Canon 3us. Cum collectores videantur specialius addicti vel hæresibus vel schismati, si quid est quod causam ipsorum possit confirmare et tueri, id pariter non sine studio magno, prudentia cautelaque recipiendum est.

Satis hæc sint de collectionibus græcis. Post schisma Photianum nulla apparet collectio maximi momenti, et sequuntur, ut prototypum, collectionem Photianam; alias post abruptam concordiam inter Romanam Ecclesiam et Orientalem, tales collectiones nullum influxum in disciplinam Ecclesiæ Occidentalis habere potuissent.

ARTICULUS III.

DE COLLECTIONE LATINORUM.

I. Aliquas in latina, sicuti in græca Ecclesia, fuisse vetustas sacrorum canonum collectiones a nemine in dubium revocatur. Scimus enim quod orta quæstione in actione XVI concilii Chalcedonensis, super VI canonem concilii Nicæni, de juribus episcoporum constantinopolitanorum et Romanorum Pontificum, non tantum

Græci habebant codices, ad quos provocarent, sed et legati Pontificis habebant suum codicem.

Hujusmodi antiquas latinas collectiones, non tantum conciliorum canones, sed et pontificia statuta exhibuisse, satis colligimus ex epistola Syricii Romani Pontificis ad Hymerium Tarraconensem episcopum; ubi Romanus Pontifex hæc habet : « Statuta sedis apostolicæ et canonum venerabilia definita nulli sacerdoti Domini ignorare sit liberum. » Ubi videmus in eodem gradu reposita tum canones conciliorum, tum decreta Romanorum Pontificum, utriusque generales dispositiones pari modo observandas juberi. Sed hoc frustra jussum fuisset, si quædam collectio Romanorum Pontificum sicut et synodalium canonum asservata non fuisset.

II. Sed valde dolendum est has pervetustas canonum collectiones, sicuti de Græcis accidit, ita et latinas, vetustatis latebris adhuc obvolvi. De cæteris recentioribus quæ supersunt, cum duæ sint per primam hanc periodum celebriores, nempe : Dyonisianam et Isidorianam, ad eas tantum coarctabimus sermonem, siquidem aliæ omnes plus minusve has duas præ oculis habuerunt, vel de iis plus minusve participant. Sic tractabimus de Dyonisiana et Isidoriana collectionibus, ordine consueto, nempe distinctis paragraphis, quorum primus erit de historia, secundus de auctoritate harum collectionum.

§ I. DE HISTORIA COLLETIONUM LATINARUM.

I. De collectione Dyonisiana.

III. Sub initio sæculi VI, Dyonisius quidem natione Scytha, professione monachus, dictus *Exiguus* vel cognomento, vel statura, vel potius humilitatis et modestiæ causa, Romæ degens, aspernatus obscurita-

tem et confusionem cujusdam antiquæ versionis canonum græcorum, cum ipse esset latina et græca lingua peritissimus, rogatus a Laurentio, Romanæ Ecclesiæ diacono, et a Stephano Dalmatiæ episcopo, novam versionem græcorum canonum perfecit.

Sed præter canones conciliorum Nicæni, Ancyrensis, Neo-cesariensis, Gangrensis, Laódicensis, Antiocheni, et Constantinopolitani, qui, ut ipse profitetur, jam erant traducti in versionem veterem, addidit et 50 priores canones apostolorum, canones Sardicenses, Chalcedonenses et Africanos.

Perfecta hac versione seu hac latina canonum compilatione, rogatus a Juliano Romanæ Ecclesiæ præsbytero, cœpit etiam colligere decretales Romanorum Pontificum, quod fecit incipiendo a Syricio, qui Pontificatum gessit sub fine sæculi VI, desinendo ad Anastasium IIum, cujus sub pontificatu circa finem sæculi V Dyonisius Romam venerat. Ita prodiit hæc collectio duplici parte constans : altera canones conciliorum complectens, altera decretalia Pontificum Romanorum colligens.

II. *De collectione Isidoriana.*

IV. Post Dyonisianam, alia prodiit celebratissima collectio canonum Ecclesiæ latinæ, quæ, juxta nonnullos codices, nomen præ se fert Isidori *Mercatoris*, juxta alios, Isidori *Peccatoris;* cæterum collectoris verum nomen et patria ignorantur; sed tempus in quo vivebat, etsi non absolute cognoscatur, tamen ex eo quod hæc collectio comprehendat canones alicujus concilii Parisiensis habiti anno 829, solet statui initium hujus collectionis circa medium sæculi IX, eodem fere tempore quo prodiit collectio Photiana in Orientis Ecclesia.

Collectio Isidoriana, post præfationem exhibet ordinem celebrandi concilia, deinde decretales epistolas Romanorum Pontificum, a Clementi I° ad Sylvestrum; postea canones conciliorum, tam generalium quam particularium, in certas classes distributos; demum sequentium Romanorum Pontificum decretales usque ad Gregorium Magnum.

Ob ignorantiæ latebras quibus historia hujus collectionis involvitur, nihil amplius de ea scire possumus.

§ II. DE AUCTORITATE COLLECTIONUM LATINARUM.

I. De collectione Dyonisiana.

V. Quod ad Dionysii collectionem attinet, sive inspiciatur indoles et ingenium collectoris, sive respiciatur existimatio quam penes Latinos hæc collectio sibi comparaverit, omni fide dignissima habetur. Nam scimus ex Cassiodoro (c. 23 divinarum Lectionum), qui auctor Dionysio coævus est, hunc hominem fuisse tum in græca, tum in latina lingua versatissimum. Propterea de illius scientia in traducendis græcis canonibus nos dubitare non possumus. Scientiam autem decretalium Pontificiarum nullus poterat habere majorem quam Dyonisius, qui Romæ degens, ut ait Cassiodorus, suam collectionem composuit. Ergo de scientia collectoris dubitare non possumus.

Sed etiam non est cur de illius probitate dubitemus, siquidem describitur a Cassiodoro tanquam vir probitatis maximæ, moribus omnino Romanus, ut ait idem Cassiodorus, alludens ad mores nationis Scythæ. Cum autem certi simus de scientia et probitate collectoris, fidem illius collectioni denegare non possumus.

VI. Quod si Berhardius quosdam ingerit scrupulos de fide collectoris suspicando, scilicet Dyonisium fuisse

quemdam ex illis monachis Scythiæ qui per ea tempora defenderent propositionem celebrem : « *unus de Trinitate passus est*, » propterea venisse Romam causam suam dicturum, unde timendum fortasse est quod probitatem non tantam habuerit quantam simulaverit; nec tantum fuisse Romanæ Sedi devotum quam curasse ut eam sibi conciliaret. Hos scrupulos, has anxietates, quas ingerit Berhardius, ex eo tantum levi fondamento quod Dyonisius erat monachus scytha, sunt nullius momenti, cum ex alia parte constet hanc collectionem fuisse apud Latinos unanimiter receptam et maximam sibi promeruisse existimationem.

Hoc sufficit suffragium publicum ut dicamus hujusmodi collectionis auctorem haud fuisse falsarium.

Hujus publici suffragii testimonium habemus potissimum ex eo quod Adrianus, Summus Pontifex, Carolo Magno Romam venienti dederit canonum collectionem dictam Adrianam, quæ non differt a Dyonisiana, nisi in quantum præterit canones conciliorum generalium, jam in Galliis notos, et producit decretales pontificias, etiam post Anastasium II.

Hæc collectio Adriana, opera Caroli Magni, recepta est in Gallia communi suffragio; et propter summam qua gaudebat auctoritatem, antonomastice vocata est: *Codex canonum.*

Cæterum nullus adhuc fuit qui quamdam potuerit deprehendere falsitatem in collectione Dyonisiana. Ergo omni fide dignissima est Dyonisii collectio, sive inspecta scientia et probitate collectoris, sive inspecta publica quam habuit existimatione, et exinde retinenda est.

II. *De collectione Isidoriana.*

VII. Contra vero altera collectio, quæ inscribitur *Isidori Mercatoris* vel *Peccatoris* nomine, sive indolem spectemus, sive ingenium collectoris, nullam prorsus fidem meretur; nullum enim est criticæ argumentum quod hujusmodi collectorem tanquam falsarium non convincat. Sive enim spectetur : 1° altum silentium quod antiquitas servat de pluribus monumentis ab eo adductis; sive 2° consideretur stylus omnino barbarus quem applicat antiquis Romanis Pontificibus, qui elegantiori certe dicendi modo usos fuisse perhibentur ; sive 3° spectetur uniformitas locutionis quæ una semper eademque apparet in omnibus monumentis ab auctore allatis, nullo pro diversitate temporum facto discrimine; sive 4° deprehendatur usus versionis hieronymianæ librorum sacrorum in antiquissimis monumentis I, II, III sæculi; sive 5° spectetur falsitas circumstantiarum vel temporum quibus edita perhibentur monumenta ;

Uno verbo nullum est criticæ argumentum quod hanc collectionem non redarguat, ita ut breviter dici possit : *Exceptis iis monumentis quæ reperiuntur in antecedentibus collectionibus, Dyonisii et aliorum, cætera plus minusve omnia vel apocrypha, vel supposititia, vel interpolata sunt.*

VIII. Verum non existimandum est hujusmodi Isidorum novum quoddam jus tempori suo ignotum proposuisse. Si enim excipiamus quasdam novitates quæ videntur introductæ, circa processus criminalium causarum episcoporum, quorum incolumitati studuit potissimum consulere, in cæteris monumenta quæ a collectione Isidoriana proferuntur, licet non sint propria illorum Pontificum vel conciliorum vel ætatis

quibus adscribuntur, sunt tamen monumenta quæ vel in recentioribus Romanorum Pontificum constitutionibus, vel in quorumdam conciliorum canonibus, vel in scriptis Patrum reperiuntur, vel demum jam consuetudine invecta fuerunt.


Quapropter fieri potuit ætate illa ut illi canones ubique fuerint recepti, cum nihil novi in eis reperiretur, et a jure quod tunc vigebat alienum. Nec scimus ullum excitatum fuisse rumorem, hac data occasione, prout semper in novitatibus contigit, nisi quod orta sunt quædam dissidia inter episcopos Galliæ de his nempe quæ a pseudo-Isidoro circa causas episcopales invecta fuerant.

Sed in cæteris omnibus per 700 fere annos, nempe usque ad medium sæculi XV, collectio Isidoriana pacifice regnavit, auctoritatem habuit tanquam veram collectionem. Hac ætate, cardinalis Cusanus in libro III° suæ Concordiæ catholicæ fraudem Isidorianam detexit. Tamen Hincmarus Rhemensis, qui decretales in hac collectione detentas, utpote sibi adversarias in causa quam habebat cum Hincmaro Laudunensi, cœpit respuere id omne quod in *codice canonum* non reperiebatur.

Sæculo autem XVI°, centuriatores Magdeburgenses protestantes quos in hoc jansenistica schola sæculis sequentibus sequi non renuit, multa hujus collectionis occasione blateraverunt sedi apostolicæ injuriosa : hoc enim genium falsandi monumenta antiquitatis sedi apostolicæ tribuerunt, tanquam si illa per hanc collectionem jura sua extendere voluisset, et reapse amplificasset.

IX. Unde hac in re dua theoremata practica ex dictis colligi possunt :

Canon I. Collectio Isidoriana, si spectetur scientia



vel probitas collectoris, nullam prorsus meretur fidem; propterea monumenta ibi recensita tantum valent quantum de se valere perhibentur si non fuissent ab Isidoro collecta; inde nulla mentio fieri debet tituli illis a pseudo-Isidoro oppositi.

Canon II. Existimatione tamen inspecta qua in Ecclesia latina collectio fuit recepta, monumenta quæ in ea recensentur, non quidem vi collectoris, sed vi auctoritatis Ecclesiæ quæ illa probasse perhibetur, legum obtinent auctoritatem.

CAPUT II.

DE JURE NOVO.

Novi juris collectiones, pro diversa indole seu diversa forma quam præ se ferunt, videntur ad duo capita commode revocari posse : alterum nempe quod sit de collectione illa quam vocant canonistæ *Decretum Gratiani*, quæ collectio hanc secundam periodum aperit; alterum est *de decretalium collectionibus*, quæ hanc periodum a Gratiano incœptam concluserunt.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DECRETO GRATIANI.

Hoc exponemus pro more solito in duos paragraphos, in quibus primus erit de historia, secundus de auctoritate illius collectionis.

§ I. DE DECRETI GRATIANI HISTORIA.

1. Gratianus Clusii in Etruria natus circa finem sæculi XII vel initium XIII, Bononiæ ordinem sancti Benedicti professus, adeo studiis ecclesiasticæ disciplinæ delectatus est, ut in silentio monasterii sanc-

torum Felicis et Naboris Bononiensis ubi diu commoratus est, canonibus Ecclesiæ tum inquirendis, tum illustrandis, totum se dederit.

Sed cum vidisset magnam regnare incohærentiam et dissonantiam inter monumenta juris ecclesiastici quæ prostabant in anterioribus collectionibus, nec per illam ætatem ea polleret critica qua possent apocrypha a genuinis, integra ab interpolatis monumenta distingui, operis sui esse duxit ut pro ea qua gaudebat ingenii subtilitate, adhibitis quibusdam scholasticis distinctionibus, omnia quæ inter se pugnare videbantur, simul conciliaret. Cui operi manum admovit circa annum 1127, et opus absolutum, ut fertur, anno 1151, vulgavit sub titulo : *Concordantia discordantium canonum.*

II. Jamvero hoc opus, quod deinde usuvenit dici : *Decretum Gratiani,* tribus constat partibus, quarum in prima visus est auctor agere velle potissimum de *juribus et officiis clericorum;* in secunda, de *judiciis ecclesiasticis;* in tertia autem, de rebus seu de *ritibus sacris;* propterea eam vocavit : *De Consecratione.*

Sed nec ratione materiæ nec ratione methodi unum ordinem semper servavit; prouti enim illi facile esset de una in aliam materiam, ordine abrupto, statim transvolare, ita nec methodum analogam servavit in omnibus partibus sui operis. Nam primam et ultimam partem divisit per *distinctiones* veluti in tot capita.

Prima pars 101 continet distinctiones ; ultima quinque, in quibus auctor præceptoris ad instar de una ad aliam, de uno ad aliud caput gradatim discurrit.

Secundam vero partem non divisit per distinctiones, sed per *causas* : constat enim 37 causis. In ea, immutata methodo, non amplius ut præceptor agit, sed potius ut casuista. Proposito enim casu, materiam

digerit respondendo omnibus et singulis quæsitis, ex proposita specie facti emergentibus.

Sed cum ad causam XXXIII, quæstione tertia, venerit, iterum ordinem abrumpit, et inserit quemdam tractatum de pœnitentia, quem absolvit septem distinctionibus; quo absoluto, iterum pergit per causas usque ad finem secundæ partis.

Ex tanta methodi diversitate suspicari posset has tres partes operis Gratiani non fuisse juxta mentem auctoris tanquam tres partes unius ejusdemque operis, sed potius totidem libros distinctos, qui deinde in unum volumen fuissent conjuncti.

III. Porro hoc opus, licet inconcinna et ineleganti methodo digestum, tamen summopere arrisit ingenio ætatis qua editum est; nam præterquam quod videbatur in se uno omnia exhaurire monumenta juris ecclesiastici, quæ in cæteris collectionibus reperiebantur, per ingeniosam illam conciliationem omnium monumentorum juris ecclesiastici quantumvis dissonantium, satisfaciebat desiderio ætatis illius, quæ post sæculorum antecedentium ignorantiam veluti e longo somno expergefacta, quærebat ducem vel magistrum qui viam scientiæ aperiret hac in re, quique posset difficultatibus illis contraire quas inchoata scientiarum restauratio in die objiciebat.

Ergo sicuti Petrus Lombardus, qui eadem ætate suos tam celebratos sententiarum libros edidit tanquam magister theologorum habitus est, et in tali honore receptus est, ut gloriarentur theologi illius sæculi, et ipse S. Thomas theologorum princeps, illius scripta interpretari, ita et Gratianus maximam sibi in re canonica conciliavit auctoritatem.

Statim ac ejus decretum apparuit, receptum est tanquam textus qui doceretur in universitate Bono-

niensi, moxque in totam Europam divulgatum fuit. Ita retentum est tanquam codex juxta quem jus doceretur in scholis, ac redderetur in foro.

IV. Sed opus Gratiani non erat de natura sua codex legum; erat potius opus scientificum; non erat jus ipsum, sed potius opus circa jus elaboratum. Ut hujusmodi opus acciperet formam cujusdam collectionis sacrorum canonum, hoc præstavit sequens ætas. Nam in editionibus decreti Gratiani, distinctis caracteribus, distinctoque scribendi ordine, diviserunt commentaria Gratiani ab ipsis quæ refert, monumentis.

Inde monumenta a Gratiano collecta tanquam legis textus allegarunt per verba initialia canonum. Commentaria Gratiani habita sunt tanquam doctrinam magistri a qua nefas fuit discedere.

Successu temporis, postquam Antonius Contius, et Demochares, doctores galli, notas numerales adjunxerunt singulis monumentis a Gratiano collectis, tunc non amplius per verba initialia, sed per numeros respondentes singulis monumentis citata usuvenerunt; quod sæculo XVI° accidit.

V. Interim distinctis doctrinis Gratiani a monumentis seu canonibus ab illo relatis, sensim decrescere cœpit collectionis gratianeæ existimatio. Qui enim antea erubuissent, ne lata quidem ungue, discedere a doctrina Gratiani, deinde hanc doctrinam cœperunt rejicere tanquam adultiori scientiæ non amplius accommodata. Quin et de veritate monumentorum in decreto allatorum aliquando incepit oriri dubitatio.

Sub hoc examine plura monumenta apocrypha, interpolata vel corrupta reperta sunt. Inde statim a doctis reclamatum est ut emendaretur opus Gratiani. Sed res summam prudentiam exigebat; nam si ex una

parte scientiæ progressus seu adultior scientia postulare videbatur ut codex hic emendaretur, ne videlicet permitteretur ut in tanta scientiæ luce libere pervagarent monumenta apocrypha, interpolata vel supposititia; ex alia vero cavendum erat ne tanquam apocrypha, et vera monumenta rejicerentur, et disciplina ecclesiastica quæ sub influxu illorum vel introducta, vel confirmata fuerat, subverteretur.

Igitur Romani Pontifices ad se traxerunt hanc perficiendam emendationem. Constituta fuit sub Pio IV, et S. Pio V, quædam congregatio eruditorum jurisperitorum qui dicti sunt *correctores romani*. Sic per eos emendatum fuit decretum Gratiani; et tandem publici juris factum est sub Gregorio XIII, qui cum in minoribus esset, hujus congregationis membrum fuerat. Quique constitutione, *cum pro munere pastoralis sollicitudinis,* die 1° junii 1582 emissa, gratianeum opus sic emendatum promulgavit confirmavitque, et cautum voluit ne hæc ipsa *decreti Gratiani* emendatio privatorum arbitrio fieret, neve sic feliciter peracta annotationibus, vel aliis hujusmodi additionibus, vel detractationibus inutilis redderetur.

§ II. DE AUCTORITATE DECRETI GRATIANI.

VI. Si indolem spectemus vel ingenium collectoris Gratiani, hujusmodi collectio indubiam fidem non meretur, non quidem ex defectu probitatis, sed potius ex scientiæ defectu. Cum enim ipse græci idiomatis imperitus esset, et in ea vixisset ætate quando sub regno collectionis Isidorianæ, critica nondum ita profuerat ut valeret apocrypha a genuinis distinguere monumenta, in pluribus et ipse lapsus est; plura enim monumenta quæ sunt vel apocrypha,

vel corrupta a Gratiano recensentur tanquam genuina, incorrupta et integra.

Sed si spectemus æstimationem quam hujusmodi opus sibi comparaverit, dubitare non possumus plura monumenta in eo allegata quæ respectu critices tantæ non sunt auctoritatis, vel consuetudinis vi, vel explicita approbatione auctoritatis ecclesiasticæ, jus commune fecisse.

VII. Sed hic subtilius quæri potest. Putandumne est integram Gratiani collectionem in jus commune transiisse? Ut affirmative respondeatur huic interrogationi, oporteret ut de duabus hypothesibus una verificaretur : 1° vel consuetudo sic introducta posset extendi ad omnia et singula monumenta a Gratiano relata, vel 2° ab auctoritate ecclesiastica, integra collectio fuit approbata. Alia non potest admitti hypothesis.

Porro neutrum probatur : non *primum*, quia licet dubitare non possimus plura monumenta jus commune fecisse, hoc tamen de omnibus non verificatur. Non *alterum*, siquidem duæ iterum hypotheses de hac approbatione proponi possunt : altera quod ab Eugenio III fuerit probata, sub cujus pontificatu Gratiani opus in lucem prodiit, sicut narrat Trithemius in suo opere *de Illustribus viris ordinis S. Benedicti;* altera quod Gregorius XIII opus emendatum approbaverit et voluerit illi dare vim legis.

Sed neutra hypothesis satisfacit : non prima, quia Trithemius solus est, sæculo XV, in asserendo hujusmodi approbationem, de qua nullum exstat monumentum ; omnes enim coævi aut superstites auctores de hac tacent omnino, quamvis habuissent multas occasiones de ea loquendi [1]. Ergo prima hypothesis ad-

[1] Dedit quidem Eugenius III facultatem ut Gratiani collectio

mitti nequit. Sed nec secunda : nam satis deprehenditur ex bulla Gregorii XIII approbante emendationem correctorum romanorum, mentem Pontificis non fuisse dandi huic operi auctoritatem legalem, sed tantum laudandi factam emendationem et impediendi quominus a privatis personis emendatio decreti fieret. Ergo nec expresse nec tacite approbata fuit Gratiani collectio Romani Pontificis auctoritate.

VIII. Ex dictis sequuntur hi canones practici de auctoritate decreti :

Canon 1. Si scientifica quæratur auctoritas operis Gratiani, tantum valent singula monumenta ab eo relata, quantum valent de se, id est, si numquam in hujusmodi opere fuissent recensita ; itaque apocrypha ut apocrypha, approbata ut approbata, etc.

Canon 2. Si quæratur auctoritas legalis ejusdem operis, tantum valent singula monumenta quæ habet, quantum recepta vel approbata fuisse perhibentur.

ARTICULUS II.

DE COLLECTIONE DECRETALIUM.

I. Collectiones Decretalium quæ a Gratiano ad concilium Tridentinum editæ sunt, pro diverso quem hodie obtinent usu, possunt in duas classes dividi, quarum aliæ pontificatum Gregorii IX præcesserunt, quæ hodie antiquatæ sunt : aliæ quæ a Gregorio IX ad Tridentinum editæ sunt, quæ hodie adhuc vigent. Ergo hunc articulum de *Decretalium collectionibus*

publice possit legi et explicari, uti habet kalendarium Gymnasii Bononiensis, anno 1152, kalend. nov. apud Alex. Machiavellium in not. ad Sigovium historiæ romanæ. Sed neque fieri id præcepit neque auctoritate sua decretum confirmavit. (Devoti., proleg., cap. VI, § LXXIX, not. 1.)

dividemus in duplicem sectionem : prima, de collectionibus Decretalium quæ a Gratiano ad Gregorium IX editæ sunt ; secunda, de collectionibus Decretalium quæ a Gregorio IX ad Tridentinam usque synodum factæ sunt.

§ I. DE COLLECTIONIBUS DECRETALIUM ANTE GREGORIANAS.

Ordinem antecedenti analogum sequentes, persequemur quod spectat: 1° ad historiam, 2° ad auctoritatem harum collectionum.

I. *De historia illarum collectionum.*

II. Statim ac codex Gratianus vulgatus est, et canonistæ, separati a theologis, juncti sunt cum doctoribus juris civilis et publici, pro utroque jure tradendo instituerunt academias. Operis sui esse duxerunt ut in utraque disciplina, nempe tum canonici, tum civilis juris, analogus textus tum magistris, tum doctoribus proponeretur.

Jamvero jus romanum, quod cœperat per illam ætatem reviviscere in Italia et summa in existimatione ab omnibus haberi, tanquam ipsius juris prototypum, duobus voluminibus comprehendebatur, Pandectis nempe et codice : Pandectæ comprehendebant jurisprudentiam seu jurisconsultorum responsa; codex vero exhibebat principum seu imperatorum placita.

Censuerunt igitur canonistæ decretum Gratiani quodammodo tanquam Pandectarum loco se habere posse, quod, ut pluribus sententiis refertum, tanquam jurisprudentum in jure ecclesiastico responsa referre videbatur. Porro, desiderabilis autem supererat codex seu quædam collectio, quæ talis esset naturæ, ut codici Justinianeo in re civili comparari posset; porro nullus locus erat in jure canonico qui possit melius principum

placitis comparari, quam *Epistolæ Decretales*, *Constitutiones*, seu *Rescripta* Romanorum Pontificum, qui supremum in Ecclesia obtinent principatum. Ergo studium incipit canonistarum ut hujusmodi *Decretales* Romanorum Patrum colligerent, et ita sibi codicem desideratum conficerent.

Quare, factum est ut, a fine XII sæc. et præcise ab anno 1190 usque ad sæc. XIII adultum, et præcise ad annum 1230, quo anno Gregorius IX edidit suam collectionem, factum est, inquam, intra hoc tempus, ut quinque saltem celebriores prodirent Decretalium collectiones quæ nominibus 1æ, 2æ, 3æ, 4æ et 5æ *collectionis* solent distingui.

III. Primam composuit Bernardus Cirta, præpositus Papiensis, postea Faventinus episcopus; hic anno 1190 quamdam collectionem composuit, in qua non tantum voluit colligere monumenta quæ effugerant industriam Gratiani, sed præsertim constitutiones Romanorum Pontificum quæ, a Gratiano usque ad Clementem III inclusive, prodierant, quibus adjecit et canones concilii Lateranensis III, quod per hanc ætatem habitum est. Confectam a se collectionem vocavit *Breviarium extra*. Breviarium nempe, quia non continebat integra monumenta, sed tantum fragmenta quædam a suis autographis decisa, brevitatis causa; *extra* vero (quod veteres significabant per litteram X), quia continebat monumenta extravagantia, seu quæ extra Decretum Gratiani vagabantur.

Ordinem verum secutus Bernardus Cirta, collectionem suam divisit in V libros, libros in titulos, titulos in capita. In I° libro, egit de *legibus Ecclesiæ*, et de *magistratibus ecclesiasticis;* in II°, de *judiciorum ordine;* in III°, de *clericis et rebus ecclesiasticis;* in IV°, de *matrimonio;* in V°, de *delictis*, de *accusationibus* et de *pœnis*,

Quæ partitio deinde tanquam prototypus a sequentibus collectoribus Decretalium habita est.

IV. Secundam collectionem Decretalium fecerunt, sub Cœlestino III, Gilbertus abbas et Alanus, episcopus Antisiodorensis, qui plures constitutiones Cœlestini III collegerunt.

Sed horum industriam vicit anno 1202, quidam Joannes Gallensis, seu, ut alii volunt, Vallensis, qui usus collectione jam perfecta a Gilberto et Alano, novam ipse edidit, insertis etiam novis constitutionibus Cœlestini III. Quare factum est ut obscurato nomine illorum duorum collectorum, nempe Gilberti et Alani, hæc collectio facta a Joanne Gallensi tanquam secunda collectio Decretalium habita est.

Sed copia Decretalium Romanorum Pontificum crescebat in dies, præsertim sub pontificatu Innoc. III, qui Cœlestino III successerat. Hic, cum esset, tum in sacra theologia, tum in utroque jure peritissimus, et longo tempore, ab anno 1198 usque ad annum 1216, pontificatum gessit, plurimas edidit constitutiones, et in multis jus ecclesiasticum ampliavit. Quare

Bernardus quidam, *major* dictus, archidiaconus Compostellanus, Romæ degens, cœpit colligere Innocentii III constitutiones, ejusque collectio dicta fuit *Compilatio Romana.*

V. Sed cum in ea compilatione quædam haberentur monumenta quæ ab usu judiciorum jam diu discesserant, impetrarunt Romani ab Innocentio III ut nova collectio constitutionum ejusdem pontificia auctoritate ederetur. Commisit igitur hanc provinciam Innocentius cuidam Petro Beneventano, subdiacono et notario suo, cujus opera collectæ sunt omnes constitutiones duodecim primorum annorum pontificatus Innocentii III, ab anno scilicet 1198 ad annum 1210.

Confectam hanc collectionem Innocentius misit ad universos magistros et scholares Bononiæ commorantes, ut sine dubitationis scrupulo, ut ipse dicit, tanquam sinceris monumentis uterentur tum in judiciis, tum in scholis. Hæc dicta fuit *III*[a] *collectio* Decretalium, sed I[a] quæ pontificis oraculo et auctoritate promulgata ac comprobata fuit, et declarata authentica, vereque proposita ut codex in re nostra, non secus ac codex Justiniani in re civili.

VI. Sed Innocentius III pontificatum tenuit usque ad ann. 1216; et anno 1215 celebravit concilium Lateranense IV; quare optimum visum est ut et sequentia juris ecclesiastici monumenta colligerentur, quæ tum ab eodem Pontifice, tum a conciliis ab eo convocatis prodiissent. Ergo apparuit *IV*[a] *collectio* Decretalium cujus auctor ignoratus; sed creditur sub auspiciis Innocentii prodiisse.

VII. Innocentio III successit Honorius III; hic etiam suarum constitutionum voluit edere collectionem, editamque mittere Bononiam, et exemplum sequi decessoris sui Innocentii III. Inde apparuit *V*[a] *collectio* Decretalium, quæ missa est ad quemdam Tancredum, juris professorem in academia Bononiensi, ut eam sine ullo dubietatis scrupulo, ut loquitur Honorius, reciperet et recipi faceret tum in judiciis, tum in scholis.

Cironius quidam rationem inquirit, cur Honorius III non ad universos magistros et scholares, ut fecerat Innocentius III, sed ad unum tantum professorem singulariter mandaverat publicandam hanc collectionem; et ipse autumat hoc factum esse quia potestas et populus Bononiæ jam diu ab Innocentio III defecerant ut adhærerent Othoni III Austriaco, qui, occupata civitate Bononiensi et pene universa Roman-

diola, a Romano Pontifice excommunicatus est, et dejectus ab imperio, armis Philippi Augusti Francorum regis, pœnitens in Saxonia mortuus est.

Sed quidquid sit de hoc, certum est quod Va collectio, haud secus ac IIIa, quoad substantiam Romani Pontificis auctoritate promulgata et confirmata fuit.

II. *De auctoritate harum collectionum.*

VIII. Cum hæ collectiones comprehendant plus minus omnia monumenta coæva seu contemporanea auctoribus suis, de falsitate redargui nequeunt.

Non tamen omnes eamdem obtinuerunt auctoritatem, siquidem 1a, 2a et 4a privato studio prodierunt; tertia vero et quinta tanquam authenticæ pontificia auctoritate confirmatæ sunt. Propterea, monumentis quæ in Ia, IIa et IVa comprehenduntur, nulla ex hoc facto accedit auctoritas.

Non autem eadem est ratio de his quæ comprehenduntur in IIIa et Va collectione; cum vero per novam collectionem quæ prodiit sub Gregorio IX, qui successerat Honorio III, omnes hæ quinque anteriores collectiones fuerint antiquatæ, inde est quod nulla ex iis hodie auctoritatem faciat vel in judiciis, vel in scholis; sed solum præstant quoddam monumentum scientificum, unde possit cognosci genuinus sensus plurium constitutionum pontificalium.

IX. Ex dictis hunc canonem de hujusmodi collectionum auctoritate statuere fas est.

Can. Quinque priores collectiones Decretalium Gregorio IX anteriores, licet hodie nullam auctoritatem faciant, nec in judiciis, nec in scholis, tamen exhibent fide dignum antiquitatis monumentum, ut ex iis genuinus et germanus sensus plurium constitutionum Romanorum Pontificum deprehendatur.

§ II. DE COLLECTIONIBUS DECRETALIUM POST-GREGORIANAS.

Quinque collectiones Decretalium a Gregorio IX ad conc. Trid. confectæ sunt ; nempe :

1° Collectio quæ dicitur *Decretalium Gregorii Papæ IX ;*

2° Quæ vocatur *Sextus Decretalium Bonifacii VIII ;*

3° Collectio *Clementinarum ;*

4° *Extravagantes Joannis XXII ;*

5° Demum *Extravagantes communes.*

Dicemus, sicut in præcedentibus, de earum historia et auctoritate.

I. *Historia harum collectionum.*

X. Honorio III, quo Pontifice prodiit quinta collectio Decretalium supra recensita, successit Gregorius IX. Hic, videns quod per quinque priores Decretalium collectiones parum satisfactum fuisset studiis canonicæ jurisprudentiæ, de novo condendo Decretalium codice consilium iniit.

Quemadmodum igitur Justinianus imperator Triboniano mandatum dedit ut ex antiquis codicibus Gregoriano, Hermogeniano, Theodosiano et etiam ex novellis constitutionibus a se ipso editis, novum condendi codicem juris civilis, ita et Gregorius IX provinciam dedit B. Raymundo de Pennafort, ut ex omnibus anterioribus collectionibus Decretalium, nec non ex recentioribus constitutionibus a se editis, novum Decretalium codicem elaboraret. Operi incubuit B. Raymundus, et licet collectio a se confecta non constaret ex solis Decretalibus Romanorum Pontificum, sed etiam ex aliis canonicis statutis, puta conciliorum canonibus, tamen cum Decretales Romanorum Pontificum constituerent partem potiorem hujus collec-

tionis, eam edidit sub hoc titulo: *Decretalium D. Gregorii Papæ IX compilatio.*

XI. Secutus est in ea conficienda ordinem analogum illi qui servatus est in anterioribus quinque collectionibus Decretalium; nempe opus distinxit in quinque libros : 1° de subjecto auctoritatis ecclesiasticæ; 2° de ordine et forma judiciorum; 3° de personis, de officiis, de proventibus ecclesiasticis; 4° de matrimonio; 5° de delictis et pœnis. Unde canonistæ, ad memoriam juvandam, solent hanc partitionem reducere ad sequentem versiculum :

Judex, judicium, clerus, connubia, crimen.

Judex, quod refertur ad magistratus ecclesiasticos; *judicium*, quod refertur ad ordinem judiciorum; *clerus*, ad clericorum personas, officia, etc.; *connubia*, ad res matrimoniales; *crimen*, ad delicta et pœnas. Libros distinxit in titulos, sicuti in anterioribus collectionibus; titulos etiam distinxit in capita; capita disposuit secundum ordinem chronologicum; et quæ longiora erant, in paragraphos distinxit.

Hæc est textura hujus collectionis, quæ circa annum 1230, auctoritate Gregorii IX, universitati Bononiensi vel, ut legunt alii codices, Parisiensi, vel utrique, proposita est, ut nempe ea tantum sive magistratus sive scholares uterentur tum in judiciis, tum in scholis. Unde a Gregorii IX ætate usque ad finem sæc. XIII, hic tanquam unicus codex canonicæ jurisprudentiæ receptus est : inde ergo factum est ut, hac una collectione proposita, anterioribus omnibus demeretur auctoritas.

XII. Sed circa finem sæc. XIII, visus est hic solus codex non amplius sufficere, tum quia, post editam hanc collectionem novæ prodierant plures Romano-

rum Pontificum constitutiones, tum quia per hanc ætatem duo concilia generalia Lugduni habita sunt : primum celebratum sub Innocentio IV, anno 1243; alterum sub Gregorio X, anno 1274. Igitur Bonifacius VIII, qui tunc temporis romanum gerebat pontificatum, de nova edenda collectione consilium iniit.

Hanc ergo tribus a se delectis viris perficiendam commisit, nempe Guillelmo, archiepiscopo Ebrudunensi; Berengario, episcopo Biterrensi, et Richardo de Senis, S. R. E. vicecancellario, et utriusque juris doctore. Non tamen animo abrogandi anteriorem collectionem Gregorii IX edita est hæc collectio, sicuti ille fecerat de antecedentibus, sed animo edendi potius quemdam appendicem vel quoddam supplementum collectioni Gregorianæ.

Unde horum trium virorum studiis factum est ut ex pluribus constitutionibus pontificiis editis, vel a Gregorio IX post Decretalium compilationem, vel a sequentibus Pontificibus Maximis colligerentur, additisque canonibus conciliorum duorum Lugdunensium, nova proponeretur collectio Decretalium. Hanc ergo tanquam appendicem prioris collectionis, nempe Gregorii IX, maluit Bonifacius VIII vocare *Sextum Decretalium,* quasi sextum librum Decretalium ad quinque jam editos superadditum. Factam collectionem publicavit, sicuti antecessores sui, illam mittendo universitati Bononiensi, vel Parisiensi, ut alii volunt, ut doctores et scholares ibi commorantes ea uterentur tum in judiciis, tum in scholis.

Ordo retentus in hac collectione est analogus ordini anterioris collectionis, nempe in quinque libros dividitur, libri in titulos, et tituli in capita.

XIII. Sed crescentibus in dies pontificiis constitutionibus, cogitavit Clemens V (primus nempe Pontifex

qui Avenioni sedit) novam componere Decretalium collectionem quæ comprehenderet constitutiones a se editas, tum illas quæ latæ sunt in concilio Viennensi, quod celebraverat anno 1312, tum quæ extra concilium editæ sunt.

Collectionem jam perfectam edere sibi proposuerat sub titulo *Septimi Decretalium;* sed, morte præventus, Clemens consilium a se conceptum exsequi non potuit. Successor ejus Joannes XXII noluit vulgare hoc opus sub nomine *Septimi Decretalium*, sed potius sub nomine collectionis Decretalium Clementis V, quæ vulgo dicitur : *Clementinarum ;* eamque de more publicavit universitati Bononiensi, ut omnes magistratus et scholares ibi commorantes ea uterentur in judiciis et in scholis. Ordo hujus collectionis est analogus antecedentibus.

XIV. Sed Joannes XXII, qui pontificatum gessit ab anno 1316 ad annum 1334, et ipse plures alias edidit constitutiones. Unde quidam auctor, cujus nomen ignoratur, anno 1325, edidit novam collectionem, in qua constitutiones Joannis XXII retulit, ab exordio nempe pontificatus ejus ad annum usque 1325.

Hanc ergo quartam collectionem redegit anonymus quam partitus est in XIV titulos, retento tamen semper ordine analogo materiarum qui servatus erat in anterioribus collectionibus.

Hujus collectionis titulus est : *Extravagantes Joannis XXII* : extravagantes nempe quatenus vagantur extra corpus cæterarum Decretalium, vel extra Decretum Gratiani, quia ex dictis, nomen hoc extravagantium est omnium Decretalium proprium, quatenus vagantur extra Decretum Gratianum.

XV. Demum sub Sixto IV, nempe circa finem sæc. XV, nova edita est collectio Decretalium Romanorum

Pontificum, quæ videlicet comprehendit constitutiones pontificias ab Urbano IV ad ipsum usque Sixtum IV.

Hujus collectionis auctor etiam incertus est. Ordo in ea retentus est analogus ordini communi præcedentium collectionum, nisi quod deficientibus Decretalibus de re matrimoniali, quartum librum omisit; unde hæc collectio IV tantum libris constat. Illa sub *Extravagantium communium* titulo vulgata est.

Hæc est brevis historia harum V collectionum Decretalium quæ a Gregorio IX ad concilium Trid. editæ sunt.

II. *De auctoritate harum collectionum.*

XVI. Auctoritas quinque collectionum Decretalium quas recensuimus, sicut et quarumlibet aliarum collectionum, dupliciter considerari potest, nempe vel sub respectu historico-scientifico, vel sub respectu juridico et legali. Considerantur sub primo respectu, si quæratur an monumenta in illa comprehensa vera, genuina, vel integra sint; uno verbo, quando consideratur ea auctoritas quæ ex veritate monumentorum resultat.

Considerantur autem sub respectu juridico et legali, si quæratur an monumenta habeant pro se voluntatem legislatoris, seu an collectio tanquam codex legum ex auctoritatis placito proponatur. Utroque sub aspectu allegatæ collectiones breviter considerandæ sunt.

Si igitur *auctoritatem historico-scientificam* quinque collectionum Decretalium consideraverimus, quæ a Greg. IX usque ad Tridentinum confectæ sunt, eam reperimus in ultimis duabus collectionibus, nempe Extravagantium; nam concors est auctorum sententia quod constitutiones pontificiæ, quæ inter Extravagantes

recensentur, authenticæ sint et integræ reperiantur; unde dicunt factum fuisse ut, licet hæ collectiones, nempe Extravagantes, non fuerint Pontificis oraculo confirmatæ, tamen in usu scholarum et fori fuerint receptæ.

Si vero hanc auctoritatem hist.-scientificam consideraverimus in tribus primis collectionibus, eas non esse omni exceptione majores videbimus.

1° Ad Gregorii collectionem quod spectat, licet explorata B. Raymundi probitas non sinat suspicari illum voluisse monumenta corrumpere, tamen cum per illam ætatem viveret, qua nondum corruerat pseudo-Isidoris regnum, nec adhuc critica erat in eo culmine quo hodie est, facile decipi potuit, ut monumenta apocrypha cum genuinis, corrupta cum integris, confunderet.

2° Ad Bonifacii collectionem quod spectat, ipse noluit præbere in VI° Decretalium genuinam et integram omnino collectionem Decretalium quæ a Gregorii IX ætate ad suam usque fuerant propositæ; sed unice voluit præbere supplementum vel appendicem Gregorianæ, quo nempe posset illa juri vigenti ætate sua applicari.

Unde ipse Bonifacius in constitutione *Sacrosanctæ Ecclesiæ*, qua probavit Sextum Decretalium, aperte fatetur plures factas fuisse detractationes vel additiones monumentis in illo comprehensis, ut nempe illa melius juri vigenti aptarentur. Cum igitur illius scopus non fuit præbere vetera monumenta genuina, sed potius quod vigebat ætate sua, ea propter monumenta juris auctoritate sua modificavit. Inde est quod in ea collectione auctoritas scientifico-historica non satis reperiatur.

3° Idem dici potest et de Clementinis; nam præter-

quam Clemens V in ea collectione conficienda, et Joannes XXII in ea divulganda, sibi proposuerint exemplum Bonifacii VIII, habemus etiam aliquem historicum illius ætatis, Joannem nempe Andræam, qui testatur monumenta in hac collectione recensita sub nomine Concilii Viennensis, non fuisse vere et proprie talia qualia fuerunt in dicto concilio statuta, sed Clementis V prudentia in pluribus modificata.

Ergo, si consideretur auctoritas historico-scientifica quinque collectionum Decretalium a Gregorio IX ad Tridentinum usque editarum, reperitur quidem auctoritas in collectionibus Extravagantium tam Joannis XXII quam communium; non autem perfecta potest reperiri in collectionibus Gregorii IX, Bonifacii et Clementis.

XVII. Sed si consideremus auctoritatem juridicam et legalem harum collectionum, inversum judicium dare debemus. Nam duas illas collectiones Extravagantium nunquam oraculo pontificiæ auctoritatis videmus fuisse confirmatas, tanquam authenticas collectiones, et tanquam codices legum fuisse approbatas. Unde si usum in praxi acceperunt, ideo receperunt, quia monumenta in ipsis allegata genuina et vera erant, non autem quia Pontificis mandato fuissent accipiendæ.

Si vero sermo sit de primis illis tribus collectionibus, nempe Greg. IX, Sexto et Clementinis, eas novimus auctoritate vel Gregorii IX constitutione *Rex pacificus*, vel Bonifacii VIII, const. *Sacrosanctæ Ecclesiæ*, vel Joannis XXII constitutione *Quoniam nulla*, fuisse publicatas et tanquam codices legum ecclesiasticarum propositas. Unde factum est quod monumenta in his collectionibus comprehensa, quamvis de se non haberent vim legis ecclesiasticæ, vel ad summum essent

leges particulares, per hanc pontificiam approbationem vim legis generalis obtinuerunt.

Unus tantum est Berhardius, qui videtur paulisper obmussitare contra hanc auctoritatem legalem quam hisce constitutionibus asseruimus; sed rationes ab eo propositæ tales non videntur ex quibus cogamur a communi sententia recedere.

Et sane, duplici de causa ipse negat monumentis comprehensis in istis collectionibus vim legis generalis :

1° Nempe quia approbatio pontificia fuit generalis, non specialis, seu talis approbatio quæ sese refert ad opus universum, non autem ad singula monumenta, quæ in opere continentur. Unde concludit nullum monumentum singillatim sumptum fuisse pontificio oraculo confirmatum, et eapropter singulis monumentis eam tantum manere auctoritatem quam per se haberent.

2° Contendit modum quo fuerunt publicatæ hæ collectiones non esse proprium promulgationis legum generalium. Nam non fuerunt propositæ universæ Ecclesiæ sicut lex universalis, sed uni tantum vel duobus aut ad summum tribus universitatibus pro ordine studiorum; unde concludit nullam legis generalis auctoritatem singulis monumentis accessisse.

Sed, ut patet, secunda ratio nullius est monumenti. Cum enim a natura non sit determinatus modus leges promulgandi, sufficit ut modus sit talis quo universa communitas vel mediate, vel immediate, vel simul, vel successive legis notitiam certam habere queat. Porro talis est promulgandi modus qui fiebat per universitates, quia per illam ætatem tanta erat universitatum fama et auctoritas ut omnes undequaque juvenes ad illas accederent, et in ea veram juris notitiam acciperent, quam postea in patriam reportabant.

Quando igitur constat Romanos Pontifices voluisse universitatibus proponere has collectiones ut universa communitas illarum notitiam haberet, non potest ex hac causa illarum collectionum auctoritas labefieri.

Prima autem difficultas nititur quidem vero principio, sed ampliat nimis conclusionem. Nam verum quidem est non fuisse singula monumenta harum collectionum specialiter et seorsim probata, sed approbatam fuisse collectionem universim sumptam constat. Si igitur hæc approbatio generalis talis esset naturæ, ut singula monumenta non tangat, irrisoria et inutilis efficeretur, cum totum nisi ex singulis partibus resultet.

Ex hoc principio, hoc unum posset deduci, nempe quod pro singulis non adsit specialis approbatio, sed tantum præsumptio quæ in ipsa generali approbatione fundatur. Eapropter pro singulis militare saltem videtur præsumptio approbationis, donec de facto demonstretur eam approbationem datam non fuisse. Quæ, ex. g., contingit ubi reperimus sanctiones omnino oppositas, quo in casu, cum approbatio non possit in contradictionem ferri, debemus deducere recentiorem sanctionem tantummodo retinendam esse, prioremque nihil amplius ad jus practicum redigendam haberi; sed hæ priores ad solam eruditionem conferre possunt.

XVIII. Ex dictis possumus sequentes canones practicos de auctoritate harum collectionum proponere :

Can. I. Monumenta seu canones quæ comprehenduntur in collectionibus Gregorii IX, Bonifacii VIII et Clementis V, vim generalis legis obtinent, quousque non demonstretur ea non fuisse auctoritate dictorum Romanorum Pontificum approbata, vel recentiori jure abrogata vel immutata.

Can. II. Legalis autem auctoritas Extravagantium tum Joannis XXII, tum communium, nulla est, si tantummodo in ordine ad hujusmodi collectiones consideretur; sed cum constent genuinis et sinceris monumentis, communi scholarum et judiciorum usu receptæ sunt.

CAPUT III.

DE JURE NOVISSIMO.

I. Novam collectionum juris ecclesiastici periodum aperit concilium Tridentinum, quod anno 1545 a Paulo III convocatum, a Julio III continuatum, deinde sub Pio IV, ann. 1563, 25 sessionibus feliciter absolutum est. Nam decreta quæ hujusmodi concilium œcumenicum protulit tum quoad partem dogmaticam, tum quoad partem disciplinarem, ita sequentibus R. Pontificibus visa sunt opportuna, tum ad hæreses novatorum confundendas, tum ad abusus coercendos disciplinæ ecclesiasticæ, ut potius quam novis elucubrandis collectionibus operam darent, studuerunt legitimæ interpretationi et custodiæ eorum quæ in Trid. definita sunt.

Unde scimus ipsum Pium IV constituisse quamdam congregationem cardinalium pro custodia eorum quæ in conc. Trid. sancita sunt, cui Sixtus V facultatem etiam interpretandi concilium contulit.

Quapropter si præscindamus a quodam VII Decretalium quod componere meditatus est Gregorius XIII, perfecit Sixtus V, demum edidit Clemens VIII, sub nomine *Septimi Decretalium,* nulla alia fuit per hanc periodum canonica collectio, quæ legis auctoritatem obtinuit. Imo hæc ipsa statim ac edicta fuit, eadem auctoritate pontificia, immediate suppressa fuit, ne

videlicet ex ea sumeretur occasio declinandi a concilii Tridentini canonibus. Itaque unicus codex juris novissimi fuit codex Tridentinus.

II. Hoc tamen non prohibuit quominus eruditi viri colligendis monumentis juris ecclesiastici operam darent. Imo hoc præstiterunt et selectiori critica et elegantiori ordine ac methodo quam quod fecerant veteres. Si enim demamus unicam collectionem quæ sub nomine *Septimi Decretalium,* jussu Sixti V Pontificis, quæ collectio producit Decretales Romanorum Pontificum usque ad Sixti V tempora, methodo retenta consimili illi quæ recepta fuit in antiquis collectionibus Decretalium ; si demamus hanc unicam collectionem, aliæ omnes quæ factæ sunt, non amplius decisa tantum fragmenta monumentorum, sed integra monumenta referre curarunt. Non amplius ordinem rerum, sed ordinem chronologicum quem vetustiores usurpaverant collectores, restaurare non dubitaverunt. Talique instituta methodo curarunt nobis proferre quidquid monumentorum ecclesiasticorum potuerit reperiri.

Porro hujusmodi collectiones recentiores, in tres classes possunt dividi, pro varietate subjectorum ecclesiasticæ auctoritatis quorum placita colligere voluerunt. Nam 1° alii intenderunt colligendis decretalibus pontificiis, seu pontificiis constitutionibus operam dare : inde prodierunt Bullaria; 2° alii intenderunt colligere canones et actus conciliorum : inde Collectiones conciliorum ; 3° alii intenderunt colligere decisiones seu resolutiones Supremorum Tribunalium ecclesiasticorum quæ secundum jus Tridentinum latæ sunt; inde prodierunt : Collectiones sive decisionum sacræ Rotæ Romanæ, sive Congregationum cardinalium.

§ I. BULLARIA.

III. Opus incœpit Laertius Cherubinus, sæc. XVI (ann. 1586), qui quot reperire potuit constitutiones R. Pontificum a Gregorio Magno usque ad Sixtum V, collegit, quique in secunda operis sui editione, usque ad Paulum V, hujus collectionis seriem produxit. Meditabatur opus prosequi; sed morte præventus non id præstare potuit.

Quapropter ipsius filius, Angelus Maria Cherubinus, monachus Cassinensis, sæc. XVII, in paternum opus incubuit, illudque prosecutus edidit *Bullarium Magnum,* quatuor constans voluminibus, quod pontificias constitutiones usque ad Innocentium X produxit.

Iterum operi incubuerunt duo fratres minores de observantia, Angelus et Paulus, qui quintum volumen addiderunt Bullario Magno, illudque opus produxerunt usque ad constitutiones pontificias Clementis X.

Sed omnium industriam superavit Hieronymus Maynardus, qui Bullarium ad quatuordecim volumina produxit, prolatis constitutionibus pontificiis usque ad Clementem XII. Alia deinde quatuor volumina addita sunt sub nomine Bullarii Benedicti XIV; aliæ deinde additiones in dies factæ sunt ab iis qui studuerunt et student colligendis constitutionibus seu bullis sequentium Pontificum Magnorum.

§ II. COLLECTIONES CONCILIORUM.

IV. Eodem ferme tempore, quo Laertius Cherubinus delectabatur in colligendis bullis pontificiis, Merlinus incipiebat collectionem conciliorum. Duo hujusmodi collectionis volumina edidit; tertium addidit Petrus Crabbe, quartum vero Laurentius Surius, qui omnes sæculo XVI floruerunt.

Sequenti sæc., Severinus Binius opus produxit usque ad novem volumina, donec Labbæus et Cossartius, ambo ex societate Jesu, opus hoc produxerunt usque ad 17 volumina. Accesserunt studia Balusii, Colesi et recentiorum, demum Joannis D. Mauri, qui incœptam collectionem conciliorum continuarunt.

§ III. COLLECTIONES DECISIONUM SACRORUM TRIBUNALIUM.

V. Hæ collectiones in magnam copiam excreverunt.

Quoad decisiones sacræ Rotæ Romanæ, præter collectionem decisionum quæ fiunt pro singulis auditoribus coram quibus decisiones latæ sunt, habemus ingentem collectionem. Insuper habemus collectionem decisionum quæ dicuntur *recentiores*. Habemus et aliam decisionum quæ dicuntur *nuperrimæ;* demum habemus ingentem copiam decisionum quæ dicuntur *volantes,* quæ nempe in separatis foliis consistunt, quæque eduntur pro singulis diebus in quibus tribunal eas pronuntiat.

VI. Quoad decisiones Congreg. card., habemus abundantissimam collectionem decisionum congregationis Concilii, sub nomine *Thesauri resolutionum*, auctoritate ipsius congreg. Conc. vulgatum. Præterea et alias collectiones resolutionum ejusdem congregationis quæ privato studio confectæ sunt.

Sic et pro cæteris congregationibus habentur et decreta et collectiones decretorum : ita Gardellinus collegit decreta sacr. rituum Congreg., et hanc collectionem edidit sub titulo : *Decretorum authenticorum congregationis sacrorum rituum*. Alii in aliis colligendis incubuerunt.

VII. Hic est generalis apparatus historiæ omnium collectionum quæ per hanc ultimam periodum factæ

sunt, de quarum auctoritate hoc unum habeatur principium :

Cum privato studio prodierint hæ collectiones, nec ulla ex iis supremæ auctoritatis placito fuerit confirmata et promulgata, monumenta in iis relata juridicam et legalem auctoritatem nullam ex iis accipere possunt; sed monumenta in iis relata tanti valent quanti critica collectoris, seu in tantum vim legalem habent in quantum concordant cum authenticis monumentis.

Satis de collectionibus juris novissimi; una tantum restat collectio quæ cum non potuerit ulla periodo singulari comprehendi, nec spectat ad unam epocham specialem, in hac tractatione generali omissa est. Hæc est collectio quæ dicitur *Regularum* cancellariæ romanæ, de qua paulisper loquendum est.

§ IV. REGULÆ CANCELLARIÆ ROMANÆ.

VIII. Cancellaria romana tanquam officium erat quo expediri solebant omnia pontificia rescripta, tam gratiæ quam justitiæ; antiquissimam habet institutionem et quibusdam regulis traditionalibus in suis expediendis negotiis usa est; sed harum regularum nulla extitit ab antiquitate scripta collectio, multo minus legali auctoritate confirmata.

Primus fuit Joannes XXII qui has regulas scripto digessit et pontificia auctoritate confirmavit. Sequentes Rom. Pontifices operi incœpto incubuerunt, varie illud modificarunt, præsertim sæc. XV, Nicolao V° Pontifice, donec hodie illarum collectio ad LXXII regulas excrevit.

Hujus collectionis ea singularis est natura, quod nempe non faciat jus omnino perpetuum, sed tantum duraturum quousque vivit Pontifex Maximus : sede autem vacante, expirat illarum vis et auctoritas. Sed

novus Pontifex ipso assumptionis die eas solet innovare et confirmare. Unde solent comparari edicto prætoris in jure romano, cujus vis ultra annum non perdurabat; sed unusquisque prætor a die suæ præturæ solebat edictum innovare.

IX. Materia hujus collectionis respicit officia eorum qui in curia addicti sunt in ordine judiciorum qui in cancellaria absolvuntur, nec non innuunt reservationes pontificias præsertim in causa beneficiorum. Jam vero cum hæc materia, nempe beneficialis, talis sit quæ afficiat universam disciplinam ecclesiasticam, in conferendis beneficiis, ea mente fuerunt illæ reservationes publicatæ ut apud omnes innotescant, et habeant vim juris communis; tamen deinde, concordatis initis inter Pontificem Max. et principes sæculi, harum regularum vis pro variis locis varie fuit modificata et alicubi etiam extincta.

Postquam hujusmodi tractatum de collectionibus juris canonici absolverimus, unicum restat adhuc videndum antequam ad aliam partem accedamus: vidimus enim separatim varias collectiones juris canonici quoad earum æstimationem et auctoritatem; sed nondum proposuimus volumen illud collectionum quo uti solemus, tum in judiciis, tum in scholis, nempe opus quod dicitur: *Corpus juris canonici*, quod varias exhibet collectiones usu vel scholarum vel judiciorum receptas. Ergo remanet ut de illo monumento eloquamur.

CAPUT IV.

DE CORPORE JURIS CANONICI.

§ I. PARTITIO ET AUCTORITAS CORPORIS JURIS CANONICI.

I. Ex analogia quæ inter utriusque juris disciplinas subsistere dignoscitur, orta est analoga partitio codi-

cum in quibus horum monumenta referuntur. Quemadmodum ergo textus civilis duobus voluminibus constat et scholarum usui proponitur, ita et ipsi plures ex recentioribus juris canonici collectiones in duobus voluminibus proposuerunt sub nomine *Corporis juris canonici.*

Postquam igitur præcedenti tractatu de juris canonici collectionum historia et auctoritate singillatim disseruimus, præstat ut hac brevi appendice aliquid de partitione et de auctoritate hujus operis disseramus. Itaque:

II. Corpus juris canonici duobus voluminibus constans, sic dividitur :

Primum exhibet : 1° decretum Gratiani, 2° 56 canones pœnitentiales, 3° demum 84 canones apostolorum. De historia et auctoritate decreti Gratiani et canonum apostolorum jam satis disseruimus. Unde concludemus : monumenta in ea collectione comprehensa tanti valere quanti valent per se, in quantum usu fuerint recepta.

Cum vero recentiori juri in pluribus hujusmodi monumentis fuerit derogatum, inde est quod decreto Gratiani hodie utamur potius ad historiam veteris disciplinæ quam ad jus practicum et hodiernum moderandum.

Quoad vero canones pœnitentiales : isti canones pœnitentiales in corpore juris exhibiti constituunt unam ex tot collectionibus hujus generis quæ prodierunt VII°, VIII°, IX° et X° sæc., in id intentæ ut præfigerent normam sacerdotibus, in infligendis pœnis in foro pœnitentiali, ne videlicet aut nimia indulgentia deficerent, aut nimia severitate juris limites excederent.

Sed hæc collectio nullam præ cæteris libris pœni-

tentialibus obtinet auctoritatem; imo obscuri nominis, incertique auctoris collectio est, ita ut hodie præsertim quando apud Ecclesiam latinam usus horum librorum exsolevit omnino, non possit inservire hæc collectio nisi tanquam quoddam monumentum antiquæ disciplinæ quod sæc. IX fortasse adscribendum est.

Quod vero pertinet ad canones apostolorum hoc unum adnotare præstat, quod in hac collectione non recensentur 85, sed tantum 84 canones, quia sub uno duo conjunguntur canones, illi nempe qui erant 3 et 4, juxta collectionem Dyonisii Exigui.

III. *Secundum* volumen constat : 1° Decretalibus Gregorii IX; 2° VI° Decretalium; 3° Clementinis; 4° Extravagantibus; 5° Extrav. communibus. Accesserunt ad calcem, typographorum vel bibliopolarum studio, duo opera, quæ nulla gaudent publica auctoritate, nempe VII Decretalium Petri Mathæi et Institutiones canonicæ confectæ a Lancelloto, jurisconsulto Parisiano. De historia et auctoritate priorum quinque collectionum satis disseruimus. Propterea ex dictis unusquisque deducere potest eorum valorem practicum.

Quod spectat ad alias duas collectiones quæ privata auctoritate in hoc codice fuerunt insertæ, hæc breviter.

IV. VII^us liber Decretalium Petri Mathæi, jurisconsulti Lugdunensis, est quædam collectio quæ ad instar aliarum collectionum Decretalium, facta fuit a Petro Mathæo sub Sixto V, animo supplendi iis monumentis quæ deerant antiquioribus collectionibus. Produxit igitur Decretales pontificias usque ad Sixtum V, et opus dicavit cardinali Cajetano. Sed hujusmodi opus ab ecclesiastica auctoritate nunquam fuit vel appro-

batum vel reprobatum, nullam sibi auctoritatem vindicat in praxi, præter eam quæ oritur ex authenticitate monumentorum quæ in ea inseruntur. Nec hujusmodi opus reputatur a vitiis immune : et bullariorum potissimum copia, quodammodo fuit suffocatum, nec hodie unquam a canonistis citatum invenitur.

V. Quoad *Institutiones Lancelloti* : sciendum est, quod circa tempora conc. Trid., quando nempe colligendorum antiquæ ecclesiasticæ disciplinæ monumentorum fervere jam studium incœperat, senserunt viri eruditi necessitatem conficiendi quasdam institutiones canonicas, quæ nempe in compendium redigerent generalia juris præcepta, ne studiosi tanta textuum seu ingentium collectionum mole opprimerentur.

Cœpit hoc perficere Antonius Cucchius, juris professor Tycinensis, et confecit tum minores, tum majores institutiones canonicas, sed infelici exitu, siquidem vix aut ne vix quidem receptum est opus. Ergo Paulus IV, Rom. Pont., visus est in suam curam trahere hoc opus perficiendum. Is nempe mandatum dedit Joanni Lancelloto ut hujusmodi opus elucubraret. Lancellotus incubuit operi, illudque perfectum et in quatuor libros partitum, ad instar Institutionum Justiniani, Paulo IV proposuit. Sed vel ob prudentiam, vel, ut aliqui volunt, ob invidiam detrectatorum, hoc opus variis correctionibus subjectum fuit, donec Paulo IV° e vivis ablato ineditum remansit. Successit Pius IV, et Lancellotus, quasi sperans meliorem exitum suorum laborum, opus obtulit Pio IV, illudque privato studio edidit, ut tantum valeret quantum posset.

Sed sub Pio IV conclusum est Tridentinum, quod jus antiquum varie modificaverat : unde Lancelloti institutiones, quæ elucubratæ fuerant sub jure veteri, non poterant amplius Tridentino applicari. Propterea

nullam obtinuerunt auctoritatem in usu : solum, ne deperiret hoc opus tantis laboribus confectum, tot correctionibus emendatum, cœperunt illud edere in volumine secundo Corporis juris canonici.

§ II. RUBRICÆ, GLOSSÆ, ETC.

VI. Hæc satis essent de compositione et partitione Corporis juris canonici; sed canonistæ subtiliores etiam investigationes proponunt; nempe cum in hujusmodi opere, præter monumenta principalia, habeantur et rubricæ, et summaria, et glossæ, et additiones, et notæ, necesse est ut de istorum auctoritate breviter disseramus.

Rubricæ sunt singulorum titulorum inscriptiones quæ, cum antiquitus solerent rubro colore describi, sic vocatæ sunt.

Solent canonistæ eas distinguere in duas classes, quarum alias præceptivas, alias non præceptivas vocant. *Præceptivæ* sunt eæ quæ habent sensum perfectum : v. g., ne sede vacante aliquid innovetur. *Non præceptivæ* quæ non continent nisi meram indicationem rerum quæ in titulis comprehenduntur : v. g., de constitutionibus, etc. Primas allegari possent positive, dicunt aliqui, atque habere juris auctoritatem, siquidem collectio fuit pontificia auctoritate approbata, ut in decreto Gregorii IX, in VI°, etc. Alias vero tantum allegari possent declarative, nempe ad majorem illustrationem capitum quæ in rubricis comprehenduntur.

Verum contendimus neutras allegari posse positive, quia non habere videntur voluntatem legislatoris, siquidem ab illo non approbatæ fuerunt, nisi tanquam rubricæ, id est ad illustrandum textum, non autem ad moderandum jus.

VII. *Summaria* dicuntur quædam breves periodi quæ inscribuntur supra singula capita quæ sub variis rubricis continentur, ut summatim proponant vel ostendant sub unico aspectu sententiam principalem canonum vel capitum. Hæc vero, prout quæ accesserunt studio privatorum ad illustrationem singulorum capitum, nullam habent auctoritatem legalem.

VIII. *Glossæ* dicuntur quædam commentaria seu interpretationes quæ in antiquis editionibus Corporis juris canonici recensentur in margine Decreti Gratiani, Decretalium Greg. IX, Sexti et Clementinarum ea mente ut declarent vel verba, vel sententias singulorum capitum.

Sed eæ etiam non habent nisi privatos auctores, quorum si aliqua fuit existimatio, quando infans vel adolescens esset juris prudentia canonica, hodie post hujusmodi disciplinæ progressum, nullam amplius obtinere possunt auctoritatem. Unde in recentioribus editionibus non amplius reperiuntur.

IX. *Additiones* quædam factæ fuerunt vel studio correctorum romanorum in Decreto Gratiani; illæque solent distinctis caracteribus notari, eo fine ut quilibet possit ex iis colligere sensum vel auctoritatem monumentorum quæ in Gratiano referuntur.

Decretalibus vero Gregorii IX, quædam additiones factæ sunt studio Antonii Contii Galli et Francisci Venia Hispani, qui ex anterioribus Decretalium collectionibus curarunt extrahere integra rescripta quæ tantum mutilata habentur in Decretalibus, ut quis melius contexturam capitum possit animadvertere. Sed hujusmodi additiones omnes utiles quidem sunt ad illustranda monumenta, nullam vero legalem habent auctoritatem, seu illis nulla legis auctoritas unquam accessit.

X. *Notæ* demum dicuntur quædam breves adnotationes quæ ad calcem uniuscujusque paginæ solent recenseri, ut nempe significentur variantes lectiones, vel remittantur lectores ad loca parallela, vel ad alia, unde singuli canones possint illustrare et interpretari. Sed notæ sunt etiam privata auctoritate factæ, et proinde nullam habent auctoritatem legalem.

LIBER SECUNDUS.

DE MEDIIS QUIBUS JUS INTERPRETATUR, SEU DE RECTA SACRORUM CANONUM INTERPRETATIONE.

Quamvis unum de præcipuis attributis legum sit claritas, fere tamen impossibile est ut leges, vel ob generalitatem objecti circa quod versantur, vel ob antiquitatem temporis quo editæ sunt, vel demum aliis de causis, tantam assequi possint perspicuitatem, ut in aliquam obscuritatem vel ambiguitatem non incidant.

Parum igitur studiis nostris prodesset legum ecclesiasticarum expendisse naturam vel authenticos eorumdem codices aperuisse, nisi modus præsto esset quo ab hujusmodi obscuritatibus vel ambiguitatibus eas extricare possimus, nisi modus certo esset quo verus sensus legum, certa voluntas legislatoris deprehendi possit.

Jam vero hic modus, interpretatio est : succedit igitur 1æ parti quam de legibus scripsimus, hæc 2a quam dicimus *de recta canonum interpretatione.*

CAPUT PROŒMIALE.

DE NATURA ET SPECIEBUS INTERPRETATIONIS.

I. Interpretatio generatim loquendo dicitur *veri et genuini sensûs alicujus sermonis investigatio*. Unde legum interpretatio nihil aliud est nisi *legis obscuræ vel ambiguæ explanatio* : « quia erant multa obscura, multa ambigua, declarationes adhibitæ sunt interpretum, » ait Tullius.

Interpretatio distinguitur, tum pro varietate subjecti unde procedit, tum pro varietate modi quo peragitur.

Subjectum unde procedit interpretatio potest esse vel legislator ipse, seu illius successor, vel judex in sententia ferenda, vel eruditus aut juris doctor ut studiis suis incumbat, vel ut de jure consultus respondeat. Legislator vero sicuti dupliciter potest leges ferre, nempe vel leges directe promulgando vel inductos populi mores approbando, sic dupliciter etiam potest leges a se editas interpretari, nempe vel expresse manifestando mentem suam, vel tacite approbando illum legis intellectum qui moribus invaluit.

Si legislator vel per se vel per alios expresse leges interpretetur, interpretatio hæc in jure dicitur *authentica*, quæ vim legis habet, non secus ac lex illa ad quam naturaliter retrograditur. Si vero legislator mentem suam aperiat, seu legem a se latam interpretetur per populi consuetudinem, tunc interpretatio dicitur *usualis*, eaque vim legis habet non secus ac authentica interpretatio legislatoris, siquidem *optima legum interpres est consuetudo*, uti habemus in Corp. juris (cap. *Dilectus*, de consuetudine).

Sed et judex potest in sententia ferenda jus allegare

et interpretari; nam licet judex constitutus non sit pro lege interpretanda, sed pro lege applicanda, cum tamen recta legis applicatio rectam interpretationem supponat, inde impossibile est judici suo fungi munere nisi saltem in rebus obviis, ordinariis, facilioribus, jus interpretetur. Hæc autem interpretatio dicitur *judicialis,* cujus vis seu auctoritas non excedit limites peculiaris sententiæ vel judicati : ordinarie nempe loquendo, jus facit inter partes litigantes, in determinata illa de qua agitur controversia, nec ad alias similes controversias potest extendi, saltem nisi hæc interpretatio fiat *stylus curiæ* vel *praxis fori,* quo in casu sententiæ vel res judicatæ vim legis consequi possunt.

Demum et jurisperitis inesse præsumitur facultas juris interpretandi, sive ut studiis jurisprudentiæ incumbant, sive ut alios juvent consilio, et ita legum observantiam procurent. Hæc interpretatio quæ ab eruditis fit, dicitur *doctrinalis,* quæ quidem de se nullam vim habet prouti nulla jurisperito competit auctoritas; sed tantum valet quantum rationes vel argumenta quæ ad eam tuendam proferuntur.

Inde oriuntur quatuor illæ species interpretationis, quarum una *authentica,* secunda *usualis,* tertia *judicialis,* quarta *doctrinalis* vocatur.

II. Sed distinguitur interpretatio, etiam ex modo quo operatur, siquidem fieri potest vel simpliciter declarando verba legis, vel ea extendendo, vel coarctando, ut mentem legislatoris assequamur.

Ex 1° interpretandi modo nascitur ea interpretatio quæ dicitur *declarativa,* in qua nempe tum verba, tum sententiæ legis pari gradu incedunt. Solum fit ut quædam verba vel obscura vel dubia intelligantur. Est igitur hæc : *congrua obscurorum vel dubiorum verborum legis expositio.*

Ex 2° modo interpretandi nascitur illa quæ dicitur *extensiva,* quæ nempe est quædam juris productio ad casum vel personam quæ, licet sub littera legis non contineatur, de intentione legis tamen est, ut sub obligatione ejus comprehendatur : est ergo *quædam legis productio ob paritatem vel similitudinem rationis ad casum vel personam quæ sub legis littera non continetur.*

Ex ultimo modo interpretandi, nascitur interpretatio quæ dicitur *restrictiva,* quæ dupliciter potest restringere, nempe vel improprie et negative, vel proprie et positive. *Improprie* dicitur restrictiva, quæ extensivam interpretationem prohibet, seu in eo tantum restringit quatenus prohibet extendi. Sed *proprie* et *positive* dicitur, quando legis sententiam coarctat magis quam verba vellent; est ergo quædam juris exceptio, favore cujusdam casus vel personæ, inducta, quæ, licet sub littera legis contineatur, de ratione tamen legis non est ut illius obligatione teneamur. Hujusmodi vocari etiam solet *Epikeia,* seu æquitas, quatenus est : *benigna quædam juris interpretatio;* æquitatem potius prodit quam strictum jus.

III. Ex his quæ in hoc capite proœmiali delibavimus, unusquisque statim colligere poterit scopum tractationis nostræ : hic non agimus de authentica vel usuali, vel judiciali interpretatione, sed tantum de doctrinali, cujus peragendæ facultas juris studiosis conceditur.

Hæc autem doctrinalis interpretatio arbitrarie fieri non potest; sed ea, vel pure declarativa, vel extensiva, vel restrictiva, certa habet *principia* quibus ipsa tanquam regulis gubernatur, certa habet loca seu *fontes,* unde argumenta tuto hauriri possunt, suam denique habet *methodum* qua in scholis peragitur. Ergo hujus tractationis pars tria capita complectitur, quorum,

1um de regulis, 2um de fontibus, 3um de sholastica methodo doctrinalis interpretationis sacrorum canonum.

CAPUT PRIMUM.

DE REGULIS INTERPRETATIONIS.

I. Summa totius legis est voluntas legislatoris : « *is enim contra legem committit*, ut ait reg. 88 in VI°, *qui verba legis complectens*, *contra legis nititur voluntatem.* » Ergo tot sunt regulæ interpretandi juris, quot sunt indicia ad præsumendam in dubio voluntatem legislatoris.

Sed voluntas legislatoris potest dupliciter considerari, nempe vel in singulis juris dispositionibus, vel in plurium legum seu dispositionum conflictu. Ergo hoc caput de regulis interpretationis canonicæ subdividitur in duos articulos; 1us aget de regulis ad depromendam legislatoris voluntatem in singulis dispositionibus juris; alter vero, de regulis ad desumendam illius voluntatem in plurium legum seu dispositionum conflictu.

ARTICULUS PRIMUS.

DE REGULIS AD DESUMENDAM LEGISLATORIS VOLUNTATEM IN SINGULIS DISPOSITIONIBUS JURIS.

Possumus quinque statuere theoremata tanquam principia, seu regulæ generales quæ demonstrent in dubio voluntatem legislatoris.

II. 1um theorema. *Voluntas legislatoris nunquam præsumitur inanis, otiosa, inutilis, lasciva, impia vel absurda.*

Rationis enim ordinatio lex est. Aut ergo dici debet legislatorem noluisse legem, quando eam condidit, aut dicendum est utilia, justa ac possibilia præcepisse. Jurisconsultus autem qui stat pro legis custodia et

observantia, nunquam legem ad ridicula, impia vel impossibilia protrahere debet.

Hinc sequitur corollarium sequens :

Indulgendum est extensivæ vel restrictivæ interpretationi, quoties, ea non facta, lex ad inutilia, ad noxia, ad impia vel ad impossibilia traheretur. Inde sequuntur quædam regulæ secundariæ quæ solent in jure allegari, v. g. : *ubi eadem est ratio, eadem esse debet juris dispositio.*

Item : *similium eadem est ratio ;* item : *in omnibus causis, potior est ratio æquitatis quam stricti juris* (quia nempe summum jus summa foret injuria). Item : *quod non est licitum in lege, licitum facit necessitas ;* aut alias : *ad impossibile nemo potest obligari.* Item : *cui licet posse plus, potest ille et minus. Partem in toto contineri, non est dubium,* et alia hujusmodi quæ solent in jure allegari. Hæ tamen omnes regulæ ad hoc principium generale subordinantur quod voluntas legislatoris, ad inutilia, etc., non debet protrahi ; et in tantum valent regulæ in quantum principium illud verificatur.

III. 2um Theor. *Voluntas legislatoris præsumitur semper proclivis ad ea quæ habent favorem juris, contraria iis quæ juris odium habent.*

Ratio generalis est quia legislator, tanquam juris custos et vindex, præsumitur semper stare pro juris observantia quousque contrarium non demonstretur.

Sed indeterminatum est hoc theorema nisi explicetur sensus illorum verborum : favorem legis, odium legis. Itaque quatuor sunt generatim loquendo quæ juris favorem habent, et iterum quatuor sunt quæ juris odium habent.

1° Habet favorem juris ipsa lex præexistens : est enim jus ipsum. 2° Habet favorem legis publica utilitas, sive religiosa, sive politica : finis enim juris bonum

commune est. 3° Clementia et liberalitas principis : decet enim principem liberalem esse. 4° Demum juris favorem habet libertas subditorum quæ eo usque possidere censetur quousque non demonstretur principem voluisse obligare.

Quatuor vero quæ habent juris odium, sunt : 1° quod est juri communi contrarium; 2° quod lædit publicam utilitatem, vel religiosam, vel politicam; 3° inclementia vel austeritas in principe ; 4° obligatio subditorum vel ad culpam, vel ad pœnam.

IV. Inde sequuntur hæc corollaria.

1um Coroll. Si ergo sermo sit de aliqua juris dispositione quæ vel juri vel publicæ faveat utilitati, vel beneficum principis animum manifestet, tunc ea late interpretanda est, seu verba in sua tota latitudine accipienda sunt. Sic, v. g., in quibusdam concessionibus sub nomine populi, comprehenditur et clerus ; sub nomine cleri, comprehenditur et ipse episcopus ; sub nomine ecclesiarum, comprehenditur et cathedralis ; sub nomine diœcesis, comprehenditur et civitas episcopalis. Uno verbo, sub nomine generali, comprehenduntur ea omnia particularia quæ ob specialem honorem, speciali nomine appellari solent.

Dantur tamen exceptiones huic corollario, quæ in hoc consistunt quod certæ concessiones principis, licet nec juri præjudicent nec damnum afferant, tamen quia solent per ambitum impetrari, ex eo acquirunt odium juris ; propterea sunt strictæ interpretationis. Dicuntur autem ambitiosæ concessiones, quæ tendunt ad augendam dignitatem, honorem vel commodum impetrantis : v. g., in beneficiis de quibus cap. IV de præb. in VI°. Unde his in casibus restrictiva adhiberi solet interpretatio ; sub nomine enim beneficii non comprehenduntur pensiones ; non comprehenditur cano-

nicatus cathedralis, sub nomine beneficii vacaturi; nomine beneficii vacaturi non venit beneficium mox erectum; sub nomine generali non comprehenduntur particularia quæ sub nomine speciali designantur.

2um Coroll. Ergo ubi sermo sit de tali dispositione quæ vel juri communi sit contraria, vel publicæ utilitati adversetur, vel nimiam commonstret austeritatem vel severitatem legislatoris, novam obligationem vel ad culpam vel ad pœnam, stricte interpretanda est.

V. Ex his corollariis dantur intelligi sequentes regulæ, quæ in jure canonico allegari solent; quæque his principiis subordinantur:

Verb. g.: *Odia sunt restringenda, favores autem ampliandi. Proniores esse debemus ad solvendum quam ad ligandum;* vel *ubi partium obscura sint jura, reo favendum est potius quam actori:* actori enim obligatio probandi incumbit. *In obscuris minimum est sequendum,* seu quod minus gravat; item: *principum beneficia sunt interpretanda largissime;* item: *decet principis beneficium esse mansurum:* unde si dubitetur an rescriptum sit temporaneum aut perpetuum, præsumendum est perpetuum. Item aliæ regulæ: *quæ a jure communi exorbitant, non sunt ad ultimam consequentiam trahenda:* sic privilegia, exceptiones; item: *quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis ad exemplum;* item: *in pœnis interpretatio benignior facienda est; melius est reo indulgeri quam innocentem damnare;* et sic aliæ regulæ.

VI. 3um Theor. *Voluntas legislatoris talis præsumitur qualem exhibent verba legis intellecta in suo contextu, secundum communem et obviam significationem vulgo receptam eo tempore præsertim quo lex edita est.*

Ratio hujus theorematis est quod non interna legislatoris voluntas est quæ legem facit, sed voluntas

externata, id est signis aut verbis manifestata. Sed verba, prouti signa, sunt conventionalia ex contextu loquentis, et ex vulgari usu significationem capiunt. Accedit quod si legislator ab hac norma præscinderet, legem conderet inintelligibilem, seu satis voluntatem suam non manifestaret, ideoque lex in sua promulgatione deficeret.

VII. Ex hoc theoremate tria nascuntur corollaria :

1um Coroll. Ergo generalis vel indefinita legislatoris locutio æquivalet enumerationi omnium particularium quæ sub illa generali locutione complectuntur. Hic enim communis modus loquendi est.

Unde datur intelligi hoc axioma : *ubi lex non distinguit, nec nos non distinguere debemus.* Item hæc regula : *quando aliquid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo.*

2um Coroll. Quando verba legis directò proponunt aliquam exceptionem, indirectò firmant regulam. Exceptio enim regulæ relativa est eamque supponit, et quando homines aliquam exceptionem faciunt, regulam cæteroquin confirmant. Unde hoc axioma : *exceptio firmat regulam pro casibus non exceptis.*

3um Coroll. Verba legislatoris non sunt tam intelligenda secundum proprietatem et elegantiam linguarum quam secundum statum linguæ illius temporis quo legislator loquebatur. Namque usui communi præsumitur sese aptasse, ut a communitate intelligeretur. Quapropter interpreti non tam necessaria est græcæ et latinæ elegantiæ notitia, quam notitia mediæ vel infimæ græcitatis aut latinitatis, siquidem jus canonicum, quod iis linguis potissimum constat, non eo tempore editum est quo vigebat græca et latina elegantia, sed potius quando istæ linguæ varias subierant temporum vicissitudines.

(Hac de re multum utilitatis conferre potest celeberrimum opus Caroli Ducange, quod vocat *Glossarium mediæ et infimæ latinitatis.*) Ad hoc spectat hæc regula, c. 8, *de verb. signific. : Non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferri, quia plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur.*

VIII. 4um Theor. *Voluntas legislatoris relativa præsumitur temporum, locorum et personarum adjunctis in quibus lex edita est.*

Ratio est quia hæ circumstantiæ fuerunt motiva quæ legislatoris voluntatem ad legem faciendam determinarunt. Unde sequitur hoc corollarium :

Quod historia temporum interpreti necessaria sit, ut tuto valeat sensum legum vel canonum determinare, siquidem nulla lex a priori et in abstracto apud homines facta est ; sed omnes temporum circumstantiis latæ sunt.

Unde hæc regula (c. 6, *de verborum significatione*) : *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda : quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.*

IX. 5um Theor. *Voluntas legislatoris talis præsumitur qualem eam exhibet inducta secundum legem consuetudo.*

Ratio est quia primi qui legem in praxim reduxerunt, censendi sunt melius præ cæteris potuisse legislatoris mentem cognoscere. Non autem præsumi potest legislatorem facile permisisse consuetudinem induci propriæ voluntati contrariam. Unde

Corollarium. Ergo dari non potest tutior regula ad interpretandam legem quam morum inspectio illorum qui legem ipsam observarunt. Unde hæc regula : *optima legum interpres est consuetudo,* quam legimus c. 8, de consuetudine.

Hæc sunt potissima theoremata, quæ inservire pos-

sunt ad voluntatem legislatoris determinandam in singulis juris dispositionibus.

Sed etiam potest accidere ut plures dispositiones legum inter se pugnare videantur : regulas ad voluntatem legislatoris desumendam in his casibus, in art. seq. trademus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE REGULIS AD VOLUNTATEM LEGISLATORIS DESUMENDAM IN PLURIUM DISCREPANTIUM LEGUM CONFLICTU.

X. 1um Theor. *Voluntas legislatoris constans præsumitur et perpetua.*

Ratio est quia si nemo præsumitur mutasse voluntatem, nisi contrarium constet, multo minus legislator in lege condenda, siquidem constantia et perpetuitas legum attributum est. Unde hoc corollarium :

Ergo in concursu plurium legum vel dispositionum quæ contrariæ videntur, interpretis officium est eas conciliare quantum poterit, sicque utriusque observantiam tueri. Unde regula in jure recepta est, quod si duæ contrariæ dispositiones concurrant, altera generalis, altera specialis, sustineatur semper specialis contra generalem, non autem generalis contra specialem.

Hic notandum est quod apud jurisperitos *genus* appellatur, quod pluribus commune est, v. g. beneficium genus est, canonicatus species. Species autem dicitur quidquid in comparatione illius, nempe generis, minus commune est, vel nonnullis competit, vel tantum unico individuo. Unde, v. g., non tantum canonicatus qui sunt species erga beneficium, sed etiam hoc beneficium, hic canonicatus dicitur species.

Hoc posito, supponite quod concurrant duæ dispositiones contrariæ, sed una de genere, altera de specie.

Cum genus absorbeat et exhauriat omnes species in se comprehensas, si sustineretur generalis contra specialem, una sustineretur, altera omnino tolleretur dispositio. Si vero sustineatur specialis contra generalem, utraque sustineretur, nempe generalis tanquam regula, specialis autem tanquam exceptio. Unde hæc regula : *generi per speciem derogatur*, cujus significatio est quod dispositio specialis semper prævalet generali, quia per eam non tollitur generalis; tolleretur autem specialis si generalis sustineretur. Unde inversus regulæ sensus est *genus speciei non derogat.*

Hoc de legibus quæ, licet inter se pugnare videantur, aliquo tamen modo conciliari possunt. Si vero talis vel tanta inter leges contrarietas sit ut nullo modo conciliari valeant, ad sequens theorema confugiendum est.

XI. 2um Theor. *Nova legislatoris voluntas derogat anteriori contrariæ.*

Ratio est quia licet constans et perpetua præsumatur legislatoris voluntas quousque immutata non fuerit, si probatur tamen de facto fuisse immutatam, præsumptio cedere oportet veritati : nova tunc oritur voluntas quæ antiquam, tanquam insociabilem seu contradictoriam, tollit. Unde sequitur corollarium :

Quod inter duas dispositiones aperte contrarias, illa cæteris paribus et generatim loquendo præferenda est quæ recentior fuerit. Dixi *cæteris paribus, generatim et abstracte loquendo :* quid enim si rationabiliter præsumi possit ideo legislatorem hanc novam edidisse contrariam dispositionem, quia veterem illi contrariam ignoraverit? Profecto ignorantia voluntario opponitur. Unde potius antiqua quam nova lex sustinenda est. Igitur exurgit novum theorema :

XII. 3um Theor. *Voluntas legislatoris per novam dis-*

positionem non præsumitur immutata, nisi in legislatore scientia præsumatur juris illius cui per eam dispositionem contradicit.

Ratio clara est : quia nil volitum nisi præcognitum. Sed potius quæri posset quibus in casibus præsumatur scientia in legislatore, quibus in casibus non præsumatur.

Huic quæstioni directe respondet c. I de Constitutionibus, in VI°, ubi statuitur quod juris communis in legislatore præsumitur scientia, juris autem particularis ignorantia. Ratio est quia cum legislator sit fons totius juris communis, illud quodammodo sicut inclusum tenet in sua voluntate, vel, ut dicitur, in laudato capite, habere censetur in scrinio pectoris sui. Jura autem particularia in ordine ad legislatorem sapiunt potius facti quam juris, et ob illorum multiplicitatem creduntur a legislatore ignorari. Hoc posito principio, plures nasci possunt combinationes in conflictu inter jus et jus :

XIII. 1° Vel pugnat jus commune cum jure communi, vel 2° speciale jus cum jure communi, vel 3° jus speciale cum jure speciali.

Applicando principium hoc his tribus combinationibus, tria nascuntur corollaria servanda in hoc conflictu.

1um Coroll. Si pugnat jus commune cum ipso jure communi, illud præfertur quod recentius, licet de antiquiore mentionem non faciat; et ratio est quia juris communis præsumitur scientia in legislatore. Si ergo hac scientia non obstante jus novum indidit, jam censetur voluisse antiquius abrogare.

2um Coroll. Si pugnat jus commune cum jure speciali, præfertur semper speciale; unde hæc regula 34 juris, in VI° : *quod generi per speciem derogatur.* Sed

illud jus speciale supponitur, aut antiquius jure communi, vel recentius. Si antiquius fuerit, per novum jus commune illi contrarium non censetur legislator illi derogare voluisse, nisi de eo expressam mentionem faciat; nam præsumebatur jus illud speciale ignorare. Si vero jus particulare fuerit recentius, sine dubio derogat juri communi, licet de eo mentionem non faciat; nam sciebat legislator jus commune; propterea, si non obstante ea scientia edebat jus particulare, volebat illi derogare.

3um Coroll. Si pugnat jus speciale cum jure speciali, præfertur antiquius. Nam præsumitur legislator illud ignorare, propterea illi derogare nolle, nisi aperto de eo mentionem faciat.

Una datur exceptio huic ultimo corollario; imo non est exceptio, sed declaratio : quando nempe apparens pugna invenitur inter jus speciale et jus speciale, sicut si realis esset pugna inter jus commune et jus speciale : quando scilicet accidit ut aliquid rescriptum quod secundum formam extrinsecam sit de jure speciali, quoad rem vero non exhibeat, nisi jus commune; propterea in conflictu non censetur tanquam jus particulare, sed tanquam jus commune.

Verb. g. : Episcopus, tanquam ordinarius gubernator suæ diœcesis, habet, de jure communi, plenam et ordinariam administrationem omnium negotiorum ejusdem diœceseos; unde est collator ordinarius omnium beneficiorum suæ diœcesis; quæ quidem collatio est pars diœcesanæ administrationis. Supponamus quod Romanus Pontifex, ob eam quam habet supereminentem potestatem, sibi reservet quorumdam beneficiorum collationem, sed deinceps per novum rescriptum factam reservationem auferat, restituat episcopum in pristinum jus. Hoc rescriptum est jus

speciale, nam non est lex, sed peculiaris quædam constitutio. Ita quoad formam.

Sed dispositio comprehensa in rescripto, nempe quod episcopus conferat beneficia diœcesana, est dispositio juris communis quam non possumus præsumere Rom. Pontificem ignorasse. Supponamus igitur quod licet ablata reservatione, de facto per quoddam rescriptum conferat aliquod beneficium ex illis quæ antea cadebant sub reservatione :

Quæritur, pugnantibus duobus rescriptis (rescriptum ablationis reservationis et rescriptum concessionis), quodnam prævaleat ex his. Si essent duo rescripta vere specialia, prævaleret antiquius. Sed cum unum sit speciale quoad formam, secus autem quoad rem, ideo prævalet recentius, propter principium : species derogat generi; illud enim quod non tantum quoad formam, sed etiam quoad rem speciale est, prævalet.

Ita et de similibus casibus in quibus unum ex concurrentibus rescriptis non continet nisi jus commune, tunc consideratur uti lex generalis.

XIV. Notandum est in fine hujus capitis :

1° Præmissæ omnes regulæ non sunt nisi totidem præsumptiones; ergo mentem dirigunt in dubio; sed cedunt apertæ veritati.

2° Hæ præsumptiones aliquando possunt simul concurrere in interpretatione unius ejusdemque legis; sed possunt reperiri in plurium legum conflictu : tunc prudentiæ interpretis esse debet illam præferre quam prævalentem per se dijudicet. De hoc vero regulæ dari non possunt; sed universim res prorsus pendet ex judicio practico, vel illo sensu morali quem in interpretandis causis assuetus acquirit, quique vulgo dicitur *criterium legale*.

3° Eæ præsumptiones, licet propositæ sint pro legum interpretatione, omnibus tamen etiam in peculiaribus juris dispositionibus possunt, data proportione, applicari, in quantum scilicet omnes naturam legum imitantur.

CAPUT II.

DE FONTIBUS INTERPRETATIONIS.

I. Fontes canonicæ interpretationis dicuntur loca unde argumenta haurire valeat interpres, ut legis sensum cognoscat, cognitum tueri quæat. Jam vero hæc loca duplici ex capite peti possunt : nempe vel *ex jure* vel *ex facto*. Ergo horum locorum tractationem in duos generales art. distinguemus, quorum primum de jure, alterum autem de facto, in quantum esse possunt fontes canonicæ jurisprudentiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

DE JURE QUATENUS EST FONS SACRORUM CANONUM INTERPRETATIONIS.

Jus, ut omnes sciunt, duplex esse potest, nempe vel divinum vel humanum, prouti a Deo vel ab homine immediate latum fuerit. Porro utrumque jus fons esse potest interpretationis canonicæ. Ergo ut ordine procedamus in tractationem, eam distinguemus in duos paragraphos, quorum primum erit de jure divino tanquam fonte interpretationis canonicæ, alterum de jure humano sub eodem respectu considerato.

§ I. DE JURE DIVINO QUATENUS EST FONS INTERPRETATIONIS CANONICÆ.

II. Jus divinum vel per rectam rationem unicuique hominum intimatum est, vel supernaturali Dei reve-

latione misericorditer manifestatum. Quod jus divinum sit fons canonicæ interpretationis, nemini esse potest dubium, nam, si bene meminerit, 1ª regula a nobis proposita ad jus interpretandum, erat quod legislatoris voluntas nunquam absurda vel impia præsumi possit. Atqui talis esset si ab ea norma præscinderet quam jus divinum omnibus proposuit.

Tota potius difficultas est in determinando usu, seu in definiendis limitibus intra quos jus divinum possit interpreti argumenta suggerere ad varios Ecclesiæ canones interpretandos. Cum vero hac in re non eumdem præstet usum jus divinum naturale ac jus divinum positivum, cogimur hunc paragraphum in duas partes distinguere, quarum altera erit de usu juris naturalis, altera de usu juris revelati in sacrorum canonum interpretatione.

I. *De usu juris naturalis in sacrorum canonum interpretatione.*

III. Duas habemus, quoad usum juris naturalis, contradictorias et excessivas opiniones. Prima est eorum qui juris naturalis scientia adeo seponunt a sacrorum canonum disciplina, ac si duæ essent scientiæ omnino adversæ, nec una alteri lumen vel adminiculum præbere valeat. Altera illorum est qui tanto jurisprudentiæ naturalis fanatismo abripiuntur ut nullum non videant canonem Ecclesiæ, qui non debeat ope naturalis juris interpretari.

Porro neutra ex his duabus sententiis satis est ut illi subscribere possimus. Nam si primam tenebimus, non poterimus explicare ea omnia quæ ex libera Christi aut Ecclesiæ institutione sancita sunt, quippe ex theoriis abstractis naturalis juris nunquam desumi possunt. Si vero alteram sequemur, ea non interpretabimus quæ, licet ab Ecclesia definita sint, tamen non

fuerunt, nisi explicationes juris naturalis, prouti in contractibus vel in hominum officiis solet contingere. Mediam ergo sequemur, et sequentes regulas proponemus.

IV. 1ª *Regula.* Quæ ex libera Christi vel Ecclesiæ institutione causam habent, licet naturali juri non possint esse adversa, tamen non possunt per illud absolute et positive demonstrari.

Ratio 1æ *partis* est in infallibilitate Christi Ecclesiæ etiam communicata. Unde fit quod nec Christi nec Ecclesiæ institutio a jure naturali devia esse possit.

Ratio 2æ *partis* sic proponi potest. Quantumvis supponatur analogia vel harmonia inter ordinem naturalem et supernaturalem, quæ tamen ex libera voluntate originem habuerunt, non possunt per abstractas theorias a priori tanquam per causas necessarias determinari.

2ª *Regula.* Sed supposita aliqua positiva Christi vel Ecclesiæ institutione, supposito et fine in quem directa est, media quæ fini consequendo necessaria vel opportuna sunt, possunt naturali jure determinari.

Ratio regulæ est in naturali habitudine vel relatione quam medium ad suum finem servat. Unde fit quod posito fine, jam unusquisque ratione sua cognoscere possit media quæ ad illum sunt opportuna.

3ª *Reg.* Quæ vero a libera institutione præscindunt omnino, vel si ab ea dependent, non dependent tanquam a causa, sed ad summum tanquam a conditione, qua posita, jus aliquod vel aliqua obligatio per se nata est, ea omnino debent per principia naturalis jurisprudentiæ determinari.

Ratio est quia jura vel officia hujus generis vel absolute (si præscindamus a qualibet positiva institutione), vel conditionaliter spectata, non sunt nisi

explicationes vel evolutiones juris naturalis, a quo tanquam a suo fonte mutuata sunt.

II. *De usu juris divini positivi in sacrorum canonum interpretatione.*

V. Jus divinum positivum pro diversa junctura temporis et modi qua a Deo revelatum est, distinguitur in jus Veteris et Novi Testamenti : illud « quod olim loquens Deus patribus nostris in prophetis, » hoc « quod novissime in Filio locutus, » nobis manifestavit.

Jam vero, quoad jus divinum N. T., illud vel in sacris litteris, vel in Ecclesiæ traditione continetur : quod præstet usum indefinitum in jure ecclesiastico, nulla potest esse difficultas, siquidem hoc fundamento Ecclesia Dei exstructa est, his principiis regitur.

Tota potius difficultas circa usum juris positivi, versatur circa jus V. T., ne videlicet, illud respuentes, videamus spernere verbum Dei, aut illud ex integro recipientes, ne videamur judaïzare. Sunt igitur quædam regulæ definiendæ pro usu V. T. in jurisprudentia canonica, ut utrumque extremum vitemus et aliquod hac in re criterium efformetur.

Hoc ut præstemus, considerandum est universum jus V. T. ad tres classes reduci, prouti aliud jus *morale*, aliud jus *cæremoniale*, aliud jus *judiciale* appellatur.

Morale illud dicitur quo placuit Deo per determinata præcepta Judæis jus naturale evolvere et explanare. Propterea talis est hujus juris natura, ut, licet a Deo uni populo Judeæ singulari prædilectione fuerit propositum, tamen non respiciat Hæbreos, qua tales, sed qua homines, nempe in quantum habent naturam gentibus omnibus communem.

Non ita vero jus cæremoniale vel judiciale quæ Judæos percellunt qua tales, sive in ordine ad cultum religiosum, sive in ordine ad statum politicum. Qua-

propter, prouti jus singulare dirigendis moribus unius reipublicæ vel cultui unius religionis accommodatum, postquam sanguine Christi Novum obsignatum est Testamentum, judaïca respublica dissoluta, omnem vim amisit.

Non tamen putandum est omnia et singula præcepta cæremonialis et judicialis juris V. T. fuisse ab Ecclesia repudiata ; sed alia quidem repudiavit tanquam mortifera, quæ nempe cum indicarent Christum venturum, cum fide peractæ redemptionis conciliari non poterant. Hæc *mortifera* dicta sunt. Alia recepit tanquam utilia etiam christianis et in jus canonicum translatis, unde *canonizata* dicuntur. Alia demum nec recepit, nec rejecit, sed retinuit tanquam exemplar juridicæ interpretationis, unde populus christianus ad majorem perfectionem contenderet.

VI. His igitur positis, ecce regulas :

1ª *Reg.* Ex jure morali judaïco, possumus in canonica jurisprudentia argumenta petere, non secus ac ex jure naturali. Nam nihil aliud est nisi quædam authentica juris naturalis interpretatio, ipso Dei magisterio operata. Unde quæ diximus de usu naturalis juris, hic plus minus applicantur.

2ª *Reg.* Ex jure cæremoniali vel judiciali Judæorum, non possumus arguere tanquam ex jure divino hodiedum vigente. Nam hoc jus quod debuit tanquam pedagogus Hebræos ducere ad Christum, expleta redemptione nostra, tanquam functo munere suo, vim omnem amisit. Sed :

3ª *Reg.* Hoc jus cæremoniale vel judiciale ex parte mortifera, nullum suppeditat argumentum ; ex parte vero canonizata, valet tanquam jus ecclesiasticum, de quo mox dicturi sumus. Ex parte demum mortua simpliciter, id est quoad ea quæ nec recepta nec re-

jecta sunt, valet tanquam exemplar cujusdam legis imperfectioris quo debeant christiani majorem ad perfectionem provocari. Unde ex illo tanquam a minori ad majus possumus argumenta sumere.

§ II. DE JURE HUMANO QUATENUS EST FONS INTERPRETATIONIS CANONICÆ.

VII. Jus humanum duplex dicitur, nempe aut ecclesiasticum, aut civile. Utrumque potest esse fons canonicæ interpretationis.

Ad jus ecclesiasticum quod spectat, ex ea regula qua dicebamus legislatoris voluntatem constantem ac perpetuam præsumi, consequitur quod leges ecclesiasticæ antiquiores recentioribus lucem præbeant; per recentiores vero antiquæ legislationis semina evolvuntur.

Ad jus civile autem quod spectat, licet illud jus nullum exercere possit directum influxum in canonicam jurisprudentiam, tamen cum utrumque jus æque justum ab interprete præsumatur, propterea concors supponitur : justitia enim justitiæ non potest esse opposita ; unde et jus civile locum præstat, licet subsidiarium, unde sacros Ecclesiæ canones intelligamus.

Quod autem dicitur de jure civili in genere, potissimum dici debet de jure romano. Nam hujusmodi jus non solum ob eminentem justitiæ laudem ab omnibus gentibus recipi meruit, ita ut haberetur tanquam jus civile antonomastice dictum, seu per *excellentiam*, sed etiam tantam adeptum est affinitatem cum jure canonico, ut sæpe accidat unam altera legislationem imitari, unam altera adjuvari.

Nam cum Ecclesia nata et adulta sit sub imperio romano, et jam a sæculo XII jurisprudentia canonica tradi consueverit simul cum jurisprudentia romana, nil facilius obtinuit quam ut nonnullæ leges civiles a romano jure in codices ecclesiasticos transferrentur. Ex

alia verò parte cum sciamus imperatores christianos multoties hortatu et suasione episcoporum, leges condidisse, facile canonicam jurisprudentiam imitati sunt. Unde non dubitavit Lucius III (cap. 1, *De novi ordinis denunciat.*), ubi non erat in jure canonico aliquid definitum, remittere ad jus romanum et hanc percelebrem efferre sententiam : sicuti humanæ leges non dedignantur sacros canones imitari, sic et canonum statuta principum constitutionibus adjuvantur.

Verum nec jus ecclesiasticum, nec jus civile præstat usum indeterminatum in canonica jurisprudentia. Propterea nonnullæ statuendæ sunt regulæ tum pro usu juris civilis, tum pro usu juris ecclesiastici, quas distinctis numeris proponemus.

I. *De usu juris ecclesiastici in sacrorum canonum interpretatione.*

VIII. Tres proponi possunt regulæ de usu juris ecclesiastici in canonica jurisprudentia, nempe :

1ª *Reg.* Canones eligantur qui sint certæ auctoritatis, certæque interpretationis. Incertum enim certum parere nequit.

Quapropter si dubia sit authenticitas vel integritas alicujus canonis, vel obscura illius interpretatio, tantum abest ut ipse valeat alteri lucem præstare, quod ipse indigeat pro se.

2ª *Reg.* Sint canones, saltem *ordinarie loquendo*, anteriores tempore, nempe tales qui versari potuerint per mentem legislatoris illiusque dirigere voluntatem, quando jus condebat (ne videlicet per anachronismum supponamus illi notas fuisse leges quæ post ipsum prodierunt, illasque habeamus tanquam causas quæ potius non fuerunt nisi effectus).

Sed dixi *ordinarie loquendo*, quia et recentiores canonum anteriorum sensum valent aliquando aperire, si

nempe principia illa quæ in veteribus canonibus tanquam in semine inclusa reperiebantur, per recentiores constitutiones evoluta et applicata sunt.

3ª *Reg.* Sint canones conformis interpretationis, nempe qui consonent cum lege quæ interpretationi subjicitur. Si enim illi fuerint contrarii et omnino dissoni, tam difficile est ut valeant alterius sensum explicare ut potius demonstrent ab ea disciplina recessum fuisse.

II. *De usu juris civilis in sacrorum canonum interpretatione.*

IX. Duo in hac re sunt vitanda extrema, alterum eorum nempe qui tanto fanatismo civilis juris abrepti sunt ut vix aut ne vix quidem aliquid reperiant in jure canonico, quod a jure romano derivatum non sit; alterum eorum qui talem divisionis parietem construunt inter unum et alterum jus, ut nefas sit de uno ad alterum explicandum provocare.

Nam si 1am teneremus sententiam, videremur negare Ecclesiæ quædam principia sibimet propria, super quæ fundavit legislationem suam, aliaque illi non concedere principia nisi quæ a romano jure mutuavit. Sed Ecclesia propria habuit principia et quidem multo nobiliora præ jure civili, nempe lumen revelationis.

Si vero alteram sequeremur sententiam, videremur negare analogiam illam quæ intercedit inter unum et alterum jus quod utrumque ab uno eodemque auctore in ultima analysi procedere confitendum est, quodque in unum idemque bonum humani generis ordinatur. Videremur insuper admittere quoddam bellum velut ex systemate inter ecclesiasticam et civilem auctoritatem, inter canonicam et civilem jurisprudentiam.

Atqui scimus multoties Ecclesiam leges ex romano jure derivatas in codicem suum transtulisse ; scimus non contradixisse unquam juri civili, imo illud probasse quando legislationi suæ non esset contrarium.

Ergo ut mediam sequamur sententiam in hac re, caute distinguere debemus tres classes legum civilium : 1° aliæ siquidem fuerunt quæ vel tanquam minus religiosæ, correctæ sunt ab Ecclesia, aut tanquam impiæ, omnino reprobatæ fuerunt ; 2° aliæ quæ ab Ecclesia positive fuerunt receptæ et approbatæ ; 3° aliæ demum quæ nec receptæ nec rejectæ sunt, sed sub silentio habitæ.

X. His positis, en regulas ad usum juris civilis in interpretatione cononica :

1ª *Reg*. Nullum in cononica jurisprudentia suppeditant argumentum leges civiles quæ ab Ecclesia correctæ vel reprobatæ sunt.

Ratio est quia nulla potest esse concordiæ præsumptio ubi evidens appareat discordia.

2ª *Reg*. Possumus argumentum petere ex illis legibus civilibus quæ in jure ecclesiastico receptæ sunt, non secus ac ex legibus ecclesiasticis ipsis.

Ratio est quia has leges Ecclesia proprias sibi fecit, quando ipsis suam auctoritatem impertita est.

3ª *Reg*. Ex cæteris legibus civilibus non possumus argumenta petere nisi vel ob generalem præsumptionem concordiæ inter unum et alterum jus, vel ob generalem approbationem quam obtinuit universum jus civile a S. P. Lucio III (cap. 1, *De novi op. nunt.*), a quo videtur universum civile jus fuisse approbatum, in quantum Ecclesiæ canones coadjuvat et adminiculatur.

Verum cum usus harum legum fundetur super præsumptionem vel concordiæ vel approbationis, inde fit

quod si tales se habeant hujusmodi leges, licet silentio ab Ecclesia præteritæ, quæ credi non possint ab Ecclesia fuisse probatas, nullum omnino suppeditare possent in re canonica argumentum. Hoc evenit si leges hujusmodi disponerent de re non propria, de re scilicet ecclesiastica, vel si ecclesiasticæ dispositioni essent contrariæ. Unde Bened. XIV., lib. 9, c. 14, de syn. diœc., postquam asseruit universum jus civile præsumendum esse ab Ecclesia probatum, limitat tamen hanc præsumptionem sub ea conditione quod jus civile disponat de re mere profana, nec sacris canonibus adversetur.

III. *De facto quatenus est fons sacrorum canonum interpretationis*

XI. Cum nulli dentur canones ab Ecclesia a priori et in abstracto conditi, sed omnes tum dogmatici, tum disciplinares, vel occasionem vel apportunitatem nacti fuerint in tempore, inde est quod temporum circumstantiæ in omnes canonicas dispositiones aliquo modo influxerint, illæque de tempore seu de iis circumstantiis aliquantulum participaverint.

Inde jam tradebamus, in 3a et 4a regula canonicæ interpretationis, temporum historiam sive ejus comparationem ad vicissitudinem linguarum, sive ad mores populorum, interpreti necessariam esse ut sacros canones explicet et explanet. Unde historia, cum omnibus suis derivationibus seu cum omnibus scientiis quæ eam adminiculo esse possunt, constituit quemdam fontem et quidem generalem ex facto unde possit interpres argumenta sumere ad sacrorum canonum sensum investigandum et vindicandum.

CAPUT III.

DE SCHOLASTICA METHODO INTERPRETATIONIS DOCTRINALIS SACRORUM CANONUM.

I. De origine et utilitate hujus methodi.

I. Quanquam liberum videatur interpreti eam sequi methodum quam aptiorem arbitratur ad legum sensum inquirendum, tradendumque, tamen cum scientia juris secus ac cæteræ, reviviscere cœpit circa XI^um et XII^um sæc., facile juris interpretatio eam methodum secuta est quæ apud eruditos illius ætatis erat recepta. Porro tempestate illa, scientiarum restaurationi plurimum contulisse videtur aristotelica methodus.

Aristotelis enim opera jam tum a sæculo VIII inter Arabes seu Saracenos exculta, curante Sylvestro II, Rom. Pont. sub fine X sæc., in omnes orbis partes divulgata sunt et in scholis maxima cum omnium admiratione recepta. Unde factum est ut quotquot floruerunt eruditi viri XI, XII et XIII sæc., peripateticis placitis et aristotelica methodo delectati sint; et sic scholasticam formam omnibus academicis exercitiis applicarunt. Hinc natum est exercitium scholasticæ disputationis in philosophicis theologicisque disciplinis; hinc exercitium interpretationis scholasticæ in juris disciplina.

Quæ exercitia nihil aliud sunt nisi disputatio vel interpretatio ad strictam syllogizandi normam exacta.

Horum exercitiorum usus maximus fuit quousque aristotelicum regnum duravit, in scientiis. Sed postquam a sæc. XIV, Græci Italiam petentes, capta Constantinopoli, alia græcorum philosophorum opera secum tulerunt, aristotelicum regnum primo divisum, demum eversum est. Unde usus exercitiorum parum

decrevit, sed non cessavit omnino ; nam sive id evenerit quia visus est acuendis ingeniis accommodatus, sive ut memoria servaretur illius methodi per quam scientiarum restauratio inchoata est, horum exercitiorum usus, licet minor, tamen adhuc perseverat.

Imo si ab ea recesserunt aliquantisper philosophi vel theologi, illi adhuc incubuerunt juristæ qui exercitium scholasticæ interpretationis in quotidiano scholarum usu retinent.

Postquam igitur egimus de fontibus jurisprudentiæ canonicæ, opportunius erit si ad complementum hujus tractationis, aliqua de hujusmodi exercitiis dicamus.

II. De partibus quibus constat.

II. Itaque octo partibus constat exercitium scholasticæ canonum interpretationis.

Prima consistit in simplici lectione legis seu canonis qui interpretationi supponitur. Formula legendi hæc est : interpretandum (v. g.) est cap. *de rescriptis.* Interpres legit totum textum legis.

Completa sic lectione capitis, subsequitur *secunda pars* seu *species*, nempe quædam facti propositio seu quidam casus qui sit lecto capiti relativus, quique exercitii gratia confingitur, tanquam si fuisset legislatori respondenti propositus : « species hujus capitis talis esse potest, v. gr... » Si species realis non potest inveniri, saltem necesse est ut sit verosimilis seu responsioni legislatoris conveniens.

III. Hæ dantur regulæ ad conficiendam speciem :

1° Considerari debet contextus capitis ut ex illo facti species valeat desumi.

2° Si contextus remaneat obscurus, quod sæpe accidit in decretalibus Greg. IX (nam Raymundus, vel amore brevitatis, vel ordinis studio, non proposuit nisi

fragmenta decisa ab authenticis monumentis), si igitur obscurus est contextus, ad integrum decretalis illius textum, ex qua caput illud desumptum est, recurrere oportet : inde omnes partes ad invicem conferri debent, quod fieri potest, siquidem inveniuntur integræ decretales in codicibus.

3° Si codices autographi deficiant (ut accidit in constitutionibus quæ apud VIum Decretalium repeiuntur, quas Bonifacius papa non ut genuinas voluit, sed ad sui temporis disciplinam accommodare), tunc nil aliud restat nisi ut ex historia hujus temporis illa species conficiatur, quæ melius temporum circumstantiis respondeat, quæque rectitudinem et justitiam servet rescribentis legislatoris.

Aliquando hæc secunda pars, species nempe, omittitur, quum scilicet capitulum interpretandum non respondeat alicui casui particulari, sed circa quasdam theorias generales versetur.

IV. Tunc immediate lectionem excipit *tertia* pars, quæ dicitur *dubium*, et consistit in quadam propositione circa quam integra volvitur quæstio, non secus ac thesis in theologicis et philosophicis disputationibus. Ea tantum diversitas est in hoc quod thesis, vel affirmativa vel negativa sit, semper tamen certa est et positivo modo proposita; dubium vero problematice, tanquam si resolutio inspectanda foret ab ipsa resolutione legislatoris.

Dubium autem proponitur juxta hanc formulam. Jam proposita specie interpres subjungit : « Quæsitum est a Pontifice an appellatio in hoc casu debeat admitti ? »

Inde sequitur *quarta* pars, quæ est de *rationibus dubitandi*. Illæ autem aliud non sunt nisi quædam objectiones seu argumenta contraria responsioni legis-

latoris, quæ exercitii gratia ponuntur in ore illius contra quem Pontifex rescribit.

Sic instat interpres : « Videbatur S. P. responsurus admittendam esse appellationem; namque aiebat Caius...; » et prosequitur deducendo argumenta pro ingenio suo et dicendorum materia.

Quinta pars est *decisio*, quæ sic proponitur : « Sed his rationibus non obstantibus, Pontifex rescripsit. » Et legitur responsio.

Sexta pars est *ratio decidendi*, qua firmatur æquitas decisionis legislatoris idoneis argumentis; quæ pars aliquando ab ipso legislatore petitur, aliquando ex juris principiis vel ex facti circumstantiis ab ipso interprete deducitur, cujus formula sic se habet, in primo casu : « Et ratio decidendi est illa quam proponit ipse Pontifex. » Qua recitata, eam pro libito suo illustrat et explanat interpres.

Septima pars est *responsio ad rationes dubitandi*, quam mox subjungit interpres sub hac formula : « Nec valent allatæ rationes dubitandi, quia, etc. »

Octava pars *conclusio* est : « Ergo optime rescripsit Pontifex; » et iterum recitantur verba rescripti.

CAPUT IV.

DE REGULIS JURIS.

I. Hactenus locuti sumus de interpretatione doctrinali legum, et de regulis quæ in hac interpretatione adhiberi solent. Superest ut præcipuas tradamus *regulas juris*, quæ nempe in applicatione legum et in interpretatione *judiciali* usurpantur, ac proinde ad jurisperitiam spectant [1]. Illas referemus quæ in nos-

[1] Vide Maschat. Inst. juris can., l. v, c. XL.

træ tractationis decursu passim laudatæ sunt et a jurisperitis citari solent.

Istæ regulæ dividi solent in *authenticas*, quæ auctoritate legislatoris nituntur, et *doctrinales*, quæ a doctoribus privatis instar axiomatum inventæ et usurpatæ sunt. Authenticæ vim juris obtinent, et fundant intentionem allegantis, donec adversarius casum a regula exceptum ostendat. Frequenter tamen fallunt, et ideo nulla est regula sine exceptione. Doctrinales seu Brocardicæ non faciunt jus, nec fundant intentionem allegantis, sed probabiliter, si materia subjecta patiatur, admitti solent.

Exceptionis a regula tres esse præcipuos effectus. I. *Exceptio non ampliat*, *sed restringit regulam* : nam universalitas ipsius deficit respectu casus excepti : et per hoc, quod aliquid regulæ detrahatur, non sequitur, regulam debere extendi ultra proprietatem suorum verborum. II. *Exceptio declarat regulam ;* nam ex qualitate exceptionis apparet, de quo genere regula disponat. III. *Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis*, hoc est, quod casus, qui excepti non reperiuntur, censeantur comprehensi sub regula. His præjactis, breviter attingam regulas juris canonici, idque propter tyrones juris, quibus suadetur ab initio condiscere easdem regulas, alioquin plena regularum notitia prærequirit notitiam totius juris. Fuse has regulas explicat Glossa Magna, Aug. Barb. et alii.

Istæ regulæ disponi possint secundum materiæ seu objecti ordinem, aut dumtaxat respectu habito ad locum quem occupant in corpore juris. Cum dispositio ex primo capite desumpta suppeditare nequeat membra omnino distincta, sufficit ut ordinem Decretalium sequamur.

I. Regulæ præcipuæ in Decretalibus antiquis.

1ª *Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Valet in contractibus et obligationibus temporalibus a voluntate contrahentium dependentibus. Fallit : I. In his quæ sunt juris divini, ut matrimonium, et cætera sacramenta, juramenta, vota. II. In translatione episcoporum, absolutione censurarum ; quia sæpe ligat, qui solvere non potest, et solvit, qui ligare non potuit. Sic archiepiscopus potest suum suffraganeum alligare Ecclesiæ, non tamen solvere, et regularis confessarius potest a multis censuris absolvere, non tamen his ligare, etc.

2ª *Dubia in meliorem partem interpretari debent.* Valet in actibus indifferentibus, et ex genere suo permissis, et in his, quæ sunt securiora ; sicut in dubio securius est reum absolvere, quam condemnare. Fallit in delictis, et actibus ex genere suo malis, qui præsumuntur dolo malo fieri, donec contrarium probetur.

3ª *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum :* nam necessitas non habet legem. Valet in lege positiva, præsertim humana ; fallit in lege naturali, et quoties lex positiva violanda esset in contemptum potestatis Ecclesiæ.

II. Regulæ præcipuæ in Sexto Decretalium.

1ª *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Hæc reg. corrigit jus civ. quo ad continuationem possessionis non requiritur bona fides, neque ad præscriptionem longissimi temporis 30, vel 40 annor. Nec obstat *reg.* 74, *in* 6 ; nam procedit de actu perfecto, et completo, non vero inchoato, sicut inchoatur possessio ad usucapionem.

2° *Sine possessione præscriptio non procedit.* Nomine possessionis venit etiam quasi possessio in rebus incorporalibus, seu juribus. Unde quia laïcus non est capax possidendi spiritualia, ideo præscribere nequit jus eligendi, instituendi, confirmandi clericos ; bene vero jus patronatus, seu præsentandi, ad quod laici generaliter a jure habilitati sunt.

3ª *Nemo potest ad impossibile obligari*, sive quid sit impossibile *ex natura*, ut hominem volare, sive impossibile *de facto*, ut a mendico dari decies mille aureos, sive impossibile *de jure* seu turpe contra jus divinum, aut humanum, ut obligari ad furandum, fornicandum, etc. *Nam quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.*

4ª *Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.* At privilegium reale inhærens castro, communitati, dignitati, vel alteri rei, transit ad successores. *Privilegia quædam* causæ *sunt*, seu rei, *quædam* personæ : *et ideo quædam ad hæredem transmittuntur quæ causæ sunt; quæ personæ sunt ad hæredem non transeunt.* Sic quia privilegium, seu jus pallii archiepiscopalis personale est, non transit ad successorem; idem dic de privilegio competentiæ, dotis, et de privilegiis quæ episcopi pro sua persona solent impetrare a Sede Apost.

5ª *Semel malus, semper præsumitur malus.* Præsumptio ista juris est in eodem genere; quia ex malo fieri bonum, est facti, adeoque probari debet ad eligendam præsumptionem. Si autem delictum non præcedat, quilibet præsumitur bonus, donec probetur malus.

6ª *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.* Reg. ista procedit I. in *delictis*, quæ non potest aliquis rata habere, si ejus nomine non sunt gesta : et ideo, v. g., Titius non incurrit excommunica-

tionem canonis, si approbavit factum Caji, qui suo, et non nomine Titii, clericum verberavit. II. In obligationibus, et præjudiciis, seu rebus *odiosis* : et ideo qui gessit negotia filii mei peculiaria, non meo, sed filii nomine, non obligor ei in solidum, sed peculio tenus, etsi negotiorum gestionem comprobaverim. Fallit regula ista I. in *novo consensu* confirmante; sicut superior, vel cujus interest, confirmare, seu consentire potest in factum alterius, quod aliàs vires non haberet, *Can. fin.* 9, *q.* 2, ubi episcopus dispensative consentit in executionem ordinum, quos clerici ab alieno episcopo susceperunt, *et c.* 3, *de his, quæ à Prælat.*, ubi convalidatur alienatio à prælato facta, si capitulum, superveniente consensu, eam ratam habuit, *et c.* 28, *de elect.*, subsistit electio, si canonicus spretus ei consentit. II. Fallit in eo, ex quo jactura rei meæ sequeretur, nisi factum ratum haberem; maxime, si æquitas id suadeat; ut si res mea, non meo nomine vendita, periit apud emptorem; tunc enim ratificare possum venditionem, ut pretium ab emptore obtineam.

7ª *Ignorantia facti, non juris excusat.* Facti ignorantia, dum quis sciendo legem, ignorat quid agatur, v. g. minorem esse, cum quo contrahit, excusat, quia facta, cum sint innumera, etiam prudentissimos fallere possunt. Excipe, nisi factum notorium sit in vicinia vel ignorantia sit improbabilis, et culpabilis. At ignorantia juris, dum quis leges communes ignorat, non excusat agentem ; quia leges scire debuit. Hinc ignorantia juris non prodest in usucapionibus, contractibus, et ultimis voluntatibus. *Excipe* I. personas, in quibus toleratur ignorantia juris; uti sunt milites, rustici, pueri, fæminæ, quibus ignorantia juris non nocet in dispendiis, seu in amittendo suum, non tamen prodest in compendiis, seu in lucrando.

8ª *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit* ; *quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.* Intellige, si res maneat in iisdem terminis, in quibus fuit ab initio : secus si illi adveniant omnia necessaria ad valorem. Solum ergo tempus ex actu invalido non facit validum ; bene vero, si cætera necessaria cum tempore concurrant.

9ª *Scienti, et consentienti non fit injuria, neque dolus.* Procedit in rebus, et juribus privatis , quibus aliquis cedere potest, non in jure publico, quod *privatorum pactis mutari non potest.* Sic clericus consentire nequit in violationem sui fori, canonis, competentiæ, etc., maritus in violationem thori, religiosus, pupillus, minor in alienationem rerum suarum. *Dices* : Christus, et SS. martyres voluntarie consenserunt in mortem suam, et attamen facta est eis injuria a tyrannis. R. Dist. ant. consenserunt, conformando se voluntati, et charitati divinæ, conc. ant.; transferendo jus necis in tyrannos, neg. ant.

10ª *Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* Sic privilegium præsentandi laicis concessum non debet trahi ad jus investiendi, seu instituendi , eligendi, judicandi de rebus spiritualibus. Sic etiam privilegia Ecclesiis concessa non trahuntur ad res patrimoniales clericorum quoad formam alienandi, jus restitutionis in integrum , etc.

11ª *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Et quidem si omnes tangat ut universos sub nomine collegii , debet capitulariter ab omnibus, hoc regulariter a majori parte approbari; si vero omnes tangat ut singulos, requiritur singulorum consensus ; cum jure suo nemo cedere teneatur.

12ª *Utile non debet per inutile vitiari.* Procedit in his, quæ divisionem, descriptionem, et separationem admit-

tunt. Sic rescriptum, testamentum, aut legatum valere potest in uno capitulo, et non in altero separato. Sic etiam, *cap.* 19, *de præbend.*, approbatur sententia in uno, et reprobatur in altero. Item donatio, fidejussio, promissio dotis, valet quoad summam legitimam, corruit vero quoad excessum. Fallit reg. ista, si utile et inutile sint contraria, inseparabilia, et vitium in re contineant, seu substantialem errorem.

13ª *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.* Sic in quadragesima, prohibito esu carnium, prohibentur ova, et lacticinia, quæ trahunt originem sementinam ex carne; et privatus officio, privatur etiam beneficio, quod datur propter officium; et prohibito dominio religiosis, prohibetur quoque donatio, commutatio, venditio rerum ad usum concessarum, etc. Excipe ea, quæ fieri prohibentur, sed facta tenent, effectusque ex illis sequentes sunt boni : sic enim contrahens cum altera de præsenti, licite utitur matrimonio, non obstantibus prioribus sponsalibus de futuro. Hæc reg. ampliatur ad antecedentia : *Aliquo prohibito, omne id prohibetur, per quod pervenitur ad illud.* Gloss. : quia cessante fine, cessant media ad illud. Unde cui prohibetur matrimonium, vel ordo, etiam ei prohibentur sponsalia, vel prima tonsura.

14ª *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Sic ubi non subsistit matrimonium, nec ibi est dos; item potestas executiva gratiæ *factæ* non expirat morte concedentis; bene vero gratiæ *faciendæ*; quia in priori casu potestas est accessoria; in altero vero principalis. Fallit reg. in his, in quibus ob specialem rationem valet, et sustinetur accessorium, licet deficiat principale, ut juramentum super usuris solvendis, vel alienando fundo dotali. Item sustinentur legata,

maxime pia, etsi testamentum sit invalidum ex causa præteritionis, aut exheredationis.

15ª *Qui tacet consentire videtur.* Alibi : *Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.* Ex variis conciliationibus DD. hæ magis placent : I. Tacens consentire videtur in meris favorabilibus, quæ nullum onus, et gravamen tacenti afferunt : nam quisque præsumitur velle suum bonum. II. Tacens non videtur consentire in favorabilibus, quæ onus annexum habent : ut in sponsalibus, nuptiis, contractibus, electionibus, collationibus, etc. III. Tacens in odiosis, et sibi præjudiciosis regulariter non videtur consentire. IV. Tacens in odiosis, dum potest et debet contradicere, et non contradicit, habetur pro consentiente, et confitente : ut si legitime jussus a judice non respondeat; item si parochus præsens non contradicat alteri sacerdoti volenti baptizare, assistere matrimonio : tunc enim censetur consentire ; uti et prælatus regularis in his, quæ scit, et videt, et non contradicit. At si tacens, qui deberet contradicere, facile non potest prohibere, et cum effectu contradicere, non censetur consentire, sicut Papa, episcopi, et prælati regulares multa per patientiam tolerant, ne majora mala sequantur, non tamen censentur consentire.

16ª *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* Regula procedit circa facta contingentia, quæ quis scire non tenetur; ut si percutias clericum non vestitum habitu clericali. At contra circa jura, et leges, circa notoria, et publica, et circa ea, quæ quis scire, et indagare tenetur, præsumitur scientia, ubi ignorantia non probatur.

17ª *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus.* Regula ista procedit in juribus, et potestatibus subordinatis, quarum superior per se continet inferio-

rem, non vero in juribus, et potestatibus disparatis. Sic sacerdos conficere potest Eucharistiam, quod est plus, non tamen ordinare clericos, aut ecclesias consecrare, quod est minus. Item mulier bona sua alteri donare potest; non tamen fidejubere pro illo ex SCto Vellejano hæres adire potest totam hæreditatem, non tamen pro parte eam scindere.

18ª *Qui prior est tempore, potior est jure.* Valet in pignoribus, et aliis contractibus, in data rescriptorum etc. Fallit, si superveniat fortior privilegiatus, ut providendus auctoritate apostolica in canonicatu, mulier cum dote respectu pupilli, etc.; item in testamentis, legibus, statutis, posteriora potiora sunt prioribus.

19ª *Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra : secundum naturam est commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.* Excipe, nisi quis privilegio eximatur ab onere, sic enim fæmina, et pupillus vocantur ad commodum hæreditatis, non tamen onus tutelæ.

20ª *In re communi potior est conditio prohibentis.* Valet in re communi pluribus ut singulis, v. g. decem habent agrum communem, in quo novem volunt constituere servitutem Titio, decimus reclamat contra, cujus conditio utpote prohibentis, est potior : at si nullum sit præjudicium prohibentis, non curatur ejus prohibitio.

21ª *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.* Hoc est speciale privilegium possessionis. In delicto : Titius dedit judici pecuniam, ut pro se injustam sententiam ferret, vel virgini, ut secum fornicaretur, pecuniam non repetit, quia possidentis est conditio melior. Hoc in foro externo : at in foro interno, si juxta pretium Titii nec sententia pro illo, nec forni-

catio virginis secuta est, attento jure naturali, restitutio facienda esset, nisi virgo dilapidasset pecuniam, quia tunc voluntate Titii, et consumptione facit suam, neque cum damno suo restituere tenetur; multo minus fornicari. In causa : minor minori dedit pecuniam mutuam, et is eam dilapidavit : in hoc casu potior est conditio consumentis, utpote possidentis, ut restituere non teneatur. Excipe, nisi jus resistat possidenti et assistat petitori ; ut si religiosi possideant decimas parochiæ ; tunc enim possessor probare tenetur titulum proprietatis.

22ª *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.* Reg. ista procedit de actionibus, quæ ex natura delegari, et mandari possunt ; ut judicare per alium, matrimonium contrahere ; non vero de actionibus personaliter exercendis : sic enim non potes per alium jejunare, pœnitentiam agere, missam audire, etc. E contra interdum *potest quis per alium, quod non potest per se ipsum;* quia id non decet, vel ratione personæ, vel ratione rei, seu causæ. Sic episcopus, non per se, sed per alium potest clericos verberare, judicium sanguinis exercere.

23ª *In generali concessione non veniunt ea, quœ quis non esset verosimiliter in specie concessurus.* Hæc regula indicat sub genere commisso nunquam venire illas species, quæ speciali expressione sunt dignæ. Sic sub potestate generali commissa vicario non venit potestas donandi, aut criminalia exercendi, sub potestate absolvendi non venit potestas absolvendi a reservatis ; sub generali potestate legati non venit potestas circa causas fidei.

PARS ALTERA

DE OBJECTO JURIS CANONICI

SEU

DE JURIBUS ET OFFICIIS CHRISTIANORUM.

PROŒMIUM.

Hactenus fontes aperuimus ex quibus fluunt omnia requisita ad objecti juris canonici perpensationem. Nunc ergo possumus hac tractatione propædeutica innixi ad jurium et officiorum christianorum considerationem devenire.

Hæc jura et officia, tanquam proprium canonicæ disciplinæ objectum, possunt, sicut et in scientiis cæteris, duplici sub aspectu considerari, in genere videlicet et in specie : *in genere* nempe, si considerentur in suo principio ; *in specie* vero, si in sua applicatione ; in genere quando proponuntur fundamentalia principia unde hæc jura descendunt, in specie quando ipsa principia applicata veniunt peculiaribus illis adjunctis in quibus christiani reperiri possunt. Unde duæ esse possent tractationes diversæ, quarum *prima* potissimum ad institutionum elementa pertinere videtur, quæ erit de juribus et officiis christianorum in communi, *altera* de juribus et officiis in particulari.

TRACTATIO GENERALIS.

I. Generalis autem hæc determinatio horum jurium et officiorum, quum nitatur, velut fundamento suo, in statu juridico quo gaudet Ecclesia, inde fit quod tota hæc generalis tractatio in id resolvitur ut juridicus hic Ecclesiæ status determinetur.

Porro Ecclesia duplici sub aspectu considerari potest, quatenus nempe est visibilis vel invisibilis :

Sub ultimo aspectu nihil aliud est Ecclesia quam animarum societas quæ, pro *principio* aggregationis, habet gratiam Christi, pro *fine* vitam æternam, pro *mediis* theologales virtutes. Sub hoc aspectu sic considerata, Ecclesia potius est objectum fidei quam juris.

Hujus societatis forma theocratica est, siquidem immediate a Deo recta. Nemo enim datur qui imperet præter ipsum Deum, sed omnes omnibus prodesse possunt per intercessionem apud Deum. Hæc autem intercessio magis vel minus prodest, tum ratione modi, tum ratione qualitatis : ratione modi, specialis præstat generali ; ratione qualitatis, illius nempe qui illam exercet, et habetur in ratione directa perfectionis intercedentis. Omnibus una præest, nempe immaculata Beata Virgo Maria hujus societatis regina, etc.

Nunc de Ecclesia tanquam *visibili* : 1° Christus voluit naturam nostram per gratiam sublimare ita ut natura a gratia remaneret absorpta. Porro nostra talis est ut talem habeamus habitum ad sensibilia ut mediantibus visibilibus invisibilia suscipiamus et exprimamus. Unde Christus hominem redempturus, cum esset invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris. Sic et condidit visibilem inter homines societatem quæ ad illum invisibilem medium esset, cujus est anima.

2° Hæc autem visibilis societas sub duplici aspectu potest considerari, nempe in sua interna structura, et in suis relationibus ad extra, id est, cum aliis societatibus. Unde duplex erit nostræ tractationis liber : 1us de interno Ecclesiæ statu, 2us de externo ejusdem statu.

LIBER PRIMUS.

DE INTERNO ECCLESIÆ STATU.

II. Internus Ecclesiæ status viam aperit duplici investigationi, quarum prima est de personis, altera autem de rebus in Ecclesia. Duo hæc elementa necessaria sunt ut quælibet societas valeat subsistere. Quid enim est societas? Conspiratio plurium entium liberorum in finem communem. Sed finis naturalem dicit relationem ad media per quæ valeat obtineri. Ergo societatis conceptus præter entia conspirantia, præter ipsa aggregationis membra, præter *personas* sociorum, requirit et *res*, nempe media quibus socii propositum aggregationis possint obtinere. Unde Deus sapientissimus ordinator hominem non condidit nisi postquam antecedentibus creationis diebus res omnes creasset, quæ tanquam media inservire poterant societati illi quæ ex homine erat nascitura.

Quod quum de omnibus sit societatibus, nulla ratio est cur Ecclesiæ denegetur, quum ejus ordinatio non sinat suspicari media illi haud fuisse constituta quibus finem suum assequeretur. Igitur duplex erit et quidem brevis, et quantum satis est ad specialis tractationis plenam intelligentiam, hæc de interno Ecclesiæ statu tractatio : primo de *statu personarum*, demum de *statu rerum* in Ecclesia agemus. Sed cum ille ordo normalis tum personarum, tum re-

rum, malitia humana conturbari potest, fit ut hæc societas visibilis, quæ mediis ad suam conservationem necessariis instructa esse debet, etiam facultate prædita sit redintegrandi ordinem perturbatum : quapropter solent canonistæ duabus recensitis partibus tertiam subnectere quæ *de judiciis* disputat. Sed de hac parte in tractatione speciale tantum agemus.

SECTIO PRIMA.

DE STATU PERSONARUM IN ECCLESIA.

III. Tria sunt elementa quæ statum seu personam christiani hominis determinant jure ecclesiastico, sicut tria sunt vincula externa quibus societas christianorum colligatur : 1° eorumdem sacramentorum consortium, 2° ejusdem fidei professio, 3° ejusdem fraternæ dilectionis communio, cujus vi christiani omnes velut unam Christi familiam in terris constituunt. Ergo quousque hæc tria unitatis vincula non habentur, aut hæc tria communionis elementa non conservantur, quisque ut christianus in jure canonico non habetur, si unum aut alterum amiserit tantummodo, personam habuit christiani hominis, sed velut capite diminutus personam amplius non habere jure nostro censetur.

In primo casu sunt *infideles* omnes qui in nullo ex his elementis communicant. Sunt et fideles ipsi qui, licet Christi fidem in corde concipiant, ore profiteantur, tum quia baptisma nondum acceperunt, non in christianam societatem adsciti sunt, sed adhuc inter *catechumenos* remanent. Hi omnes non sunt personæ in jure ecclesiastico.

Ad alteram categoriam spectant *hæretici* qui fidei professionem, *schismatici* qui charitatis consortium,

excommunicati qui sacramentorum participationem perdiderunt. Hi omnes christiani sunt, sed personam non habent in jure, quasi passi essent capitis diminutionem.

Qui vero tria hæc unionis vincula conservant, in his tribus constituti sunt elementis, et hi omnes personam habent in jure canonico, et tanquam cives habentur hujus sanctæ civitatis quæ Ecclesia Dei est.

IV. Sed non omnes æquales inter se habentur. Scimus Christum ex omnibus fidelibus suis duodecim elegisse, et Juda Iscariote male perdito, undecim post resurrectionem emisisse ut Evangelium annuntiarent, sacramenta ministrarent, gubernarentque Ecclesiam. Unde constituto hoc visibili magisterio, hoc visibili ministerio, hoc visibili imperio ecclesiastico, ipsa Dei ordinatione factum est ut in Ecclesia distinguerentur docentes ab audientibus, subditi a præcipientibus, gubernantes a gubernatis, uno verbo illi qui præsunt ab iis qui subsunt.

Traditio ecclesiastica primos vocat clericos (κληρος, græce sors, quasi in sortem Domini vocati), alios laicos (λαος, plebs). Unde personæ in Ecclesia dividuntur in duos generales status, clericalem nempe et laicalem. Igitur tractatio ista in duos titulos dividetur, quorum primus erit de statu clericali, alter vero de statu laicali, quos excipiet brevis appendix de statu regulari, qui status de sua natura neuter est, siquidem ex diversis constituitur principiis, sed duorum priorum utrique potest consociari.

TITULUS PRIMUS.

DE STATU CLERICALI.

V. Quum status juridicus aliud non sit nisi ea permanens vivendi conditio quæ personis quibusdam competit in ordine juridico seu sociali, non aliter potest determinari quam respectu habito ad jura vel officia quæ personis competunt ex lege secundum quam illorum status determinatur. Quapropter propositus de statu clericorum titulus viam aperit duplici dissertationi quarum altera sit de juribus, altera vero de officiis statui clericali competentibus.

DISSERTATIO PRIMA.

DE JURIBUS CLERICORUM.

VI. Christus Dominus eo fine clericatum instituit ut per eum populus christianus in finem æternæ salutis duceretur. Sed hic finis non tantum requirebat ut populus christianus in fidei veritate vel morum probitate contineretur, sed et multo magis ut intrinsecus restaurarentur collapsæ naturæ vires ut fidei et sanctitati essent proportionatæ.

Christus igitur qui, mediante clericorum adjutorio, ad hunc finem devenire intendit, non tantum contulit clericatui potestatem dirigendi externam Ecclesiæ œconomiam, tum in ordine ad fidei professionem, tum in ordine ad morum custodiam; sed etiam illi contulit potestatem conficiendi et ministrandi quosdam externos ritus, quorum sacræ significationi sanctificandi efficacia connecteretur.

Quare solemus duplicem clericorum distinguere potestatem, alteram quæ dicitur *ordinis*, alteram *juris-*

dictionis. Unde pro prooemio nostræ tractationis investiganda est natura utriusque, discrimen quod inter illas intercedit et species utriusque potestatis.

CAPUT PRIMUM.

DE POTESTATE ORDINIS ET JURISDICTIONIS.

I. Ad naturam utriusque potestatis quod spectat, dicitur potestas ordinis : *supernaturalis quædam facultas a Christo Domino instituta ad internam operandam fidelium sanctitatem per sacramenta.* Sacramenta autem in sua generalissima significatione sunt ritus symbolici ad sanctificationem peragendam ordinati. Potestas autem jurisdictionis est *supernaturalis quædam potestas ab eodem Christo instituta ad populi fidelis regimen in finem supernaturalem.*

II. His positis, ex definitionibus istis unusquisque facile videt nullum inter utrumque discrimen intercedere, si origo vel finis utriusque consideretur, sed hoc fundamentale discrimen consistere in objecto circa quod ambo versantur.

Objectum autem potestatis jurisdictionis, quod aliud non est nisi externum regimen societatis, de se est quid naturale quod et paternæ auctoritati in familia domestica, et politicæ auctoritati in republica, generatim loquendo potest comparari. Unde Ecclesia in sacris litteris communiter vel domui, vel regno assimilatur. Et sane jurisdictio seu auctoritas ecclesiastica de utraque tum paterna, tum politica potestate in ordine suo videtur participare. De auctoritate nempe paterna in quantum singulorum filiorum curam suscipit; de auctoritate politica, in quantum integræ communitatis sollicitudinem gerit. Quapropter frequentius Ecclesia sub hoc respectu gregi comparatur, ejusque

gubernatores pastoris nomine decorantur; qui nempe totius gregis sic curam sustinent ut singularum ovium necessitatibus providere non omittant.

Sed objectum potestatis ordinis potest quidem, quoad externam formam, cujuslibet religionis ritibus comparari. Si vero intime consideretur in sua efficacia, quid dicit omnino supernaturale quod omnem similitudinem naturalem transcendit, viresque humanas omni ex parte exsuperat. Ex quo quidem fundamentali discrimine plures nascuntur differentiæ inter utramque potestatem.

III. 1ª potestas jurisdictionis simplici deputatione ad aliquod officium vel actum exercendum acquiritur. Naturales enim subjecti dotes ad regendum possunt esse de se proportionatæ, nec aliquid requirunt nisi legitimam missionem, ut jurisdictio exerceatur. Sic et in civili republica inaugurantur magistratus.

Potestas autem ordinis non acquiritur nisi quadam speciali inauguratione, quæ ordinatio nuncupatur, consistitque in quodam ritu supernaturali per quem character indelibilis in anima subjecti imprimitur, ad hoc ut per ejusmodi ritus virtutem aliorum sanctificationi procurandæ idoneus efficiatur. Proinde alia exsurgit inter dictas potestates differentia.

2ª potestas jurisdictionis est essentialiter delegabilis, seu alteri, vicario nomine, gerenda potest committi. Omnino diversa habetur ratio de potestate ordinis, siquidem per simplicem delegationem vel mandatum intrinsecus mandantis character in mandatarium transferri non valet, nec hac ratione alteri delegato competit ipsa potestate.

3ª potestas jurisdictionis aut imminutionis aut integræ cessationis est capax. Nam quum tota pendeat ex mandato vel missione, quod juxta certos limites

coarctari vel omnino revocari potest, potest et ipsa jurisdictio minui vel penitus extingui.

Secus vero potestas ordinis, quippe quæ fundetur in intrinseco animæ charactere qui per totam vitam indelebilis perseverat, nullius detrimenti est capax; sed semel ac accepta fuerit, eadem inextinguibilis permanet. Unde potest quidem actus jurisdictionis irritari, actus vero ex potestate ordinis infirmari non valet.

IV. Hæc de discrimine inter utramque potestatem dicta sufficiant. Nunc de speciebus earumdem.

Potestas tum ordinis, tum jurisdictionis, recipit nonnullas partitiones.

Potestas ordinis referri potest vel ad administranda sacramenta quæ stricto sensu talia dicuntur, vel ad ministranda illa quæ lato sensu hoc nomine usuveniunt, nempe sacramentalia. Sacramenta quæ ex divina institutione in Ecclesia habentur, illi pauci sunt externi ritus quibus Christus gratiæ suæ tum significandæ, tum operandæ vim dedit. Sacramentalia autem dicuntur quidam ritus ecclesiastica auctoritate instituti, qui in eo sacramentorum naturam imitantur quatenus spirituales gratias significent et a Deo implorent.

In primo casu, potestas ordinis dici potest juris divini, quæ circa objecta versatur quæ ex institutione divina immediate promanant. In altero casu dicitur juris humani.

V. Plures partitiones admittit potestas jurisdictionis :

1° Ratione *fontis* seu causæ unde procedit, quo sensu alia dici potest *originaria*, quæ nempe a Deo ipso juris omnis auctore immediate profluit; alia vero quando nempe fuerit ab illo mutuata qui originariam habet potestatem, *delegata* dicitur, quæ non nisi me-

diate a Deo promanat. Hæc autem, si immediate transfundatur ab illo qui originariam habet, dicitur simpliciter delegata sine ullo addito; si vero ab illo committatur qui jam delegatus est, tunc dicitur *subdelegata.*

Verbi gratia, Romanus Pontifex habet originariam potestatem super omnem Ecclesiam, siquidem divinitus ad hoc institutus est supremus in Ecclesia principatus. Legatus apostolicus delegatam habet potestatem a Pontifice, a quo ipse mittitur. Si vero legatus hic alteri participat aliquod suæ jurisdictionis gerendum officium, tunc iste dicitur subdelegatus.

2° Ratione *tituli* quo habeatur, jurisdictio dividitur in *ordinariam* et *extraordinariam.* Ordinaria illa dicitur quæ ex lege, seu ex jure, adhæret alicui officio vel magistratui, vel prælaturæ ecclesiasticæ; extraordinaria vero illa quæ in jure non continetur, sed ex speciali superioris mandato extra ordinem alicui committitur.

Verbi gratia, jurisdictio patriarchalis, primatialis, metropolitana, ordinaria est, quia de jure, seu ex lege, competit alicui stabili dignitario, seu magistratui, qui patriarcha, primas, archiepiscopus nuncupatur.

Si vero præter aut contra jus commune, seu extra ordinem vel regulam communem, Romanus Pontifex alicui committeret aliquam jurisdictionem in Ecclesia exercendam, hic extraordinaria gauderet potestate.

Huc spectat et altera distinctio inter judicem ordinarium scilicet et delegatum. Judex ordinarius is est qui potestatem judicandi habet officio vel muneri illi quo fungitur annexam, qui nempe judex est ex officio, ratione dignitatis, magistratus sui, qui, uno verbo, judex natus dici potest. Contra vero judex delegatus dicitur ille cui extra ordinem, ex mandato speciali,

committitur potestas judicandi, quin habeat officium permanens cui in jure hæc potestas sit alligata.

3° Ex *modo* quo debeat exerceri, redit hæc distinctio in jurisdictionem ordinariam et extraordinariam, siquidem illud *esse ordinatum ex regula* non refertur titulo quo jurisdictio habetur, sed modo quo exercetur. Ordinaria jurisdictio sub hoc respectu (quæ quidem *pastoralis* seu episcopalis usuvenit nominari, vel etiam *immediata*) illa est quæ datur pro regulari et ordinario regimine alicujus communitatis, quæ scilicet constituit ordinarium gubernatorem alicujus societatis. Hoc sensu episcopi dicuntur locorum *ordinarii*, ordinarii nempe pastores, immediati rectores diœcesium.

Hoc item sensu ordinarius dici deberet ille etiam qui, licet suam jurisdictionem haberet ex mandato speciali, tamen illi commissa esset ordinaria alicujus ecclesiæ vel aliquarum ecclesiarum administratio.

Contra vero, si quis haberet ratione tituli vel dignitatis et de jure, aliquam jurisdictionem ordinariam, et illi non esset commissa ordinaria administratio, immediatum gubernium alicujus communitatis, sed tantum potestatem haberet interveniendi in casibus extraordinariis, seu auctoritatem suam interponendi per viam exceptionis, ut nempe suppleret defectui, vel corrigeret excessus gubernatoris ordinarii, hic ordinarius dici non posset. Verb. g. : patriarchæ, primates, archiepiscopi habent de jure communi, ratione dignitatis illis collatæ, aliquam jurisdictionem in ecclesias suffraganeorum suorum, in ecclesias nempe quæ in eorum provincia comprehenduntur; quæ quidem potestas ratione tituli ordinaria est; non autem ratione modi quo illam possunt exercere. Non sunt enim veri et proprii gubernatores harum ecclesiarum, nec earum possunt tanquam ordinarii haberi; sed solum intervenire possunt per

viam exceptionis, si forte deficiat vel excedat in aliquo suffraganei, seu ordinarii immediati auctoritas. Hi ergo sub hoc respectu non habent ordinariam potestatem, sed solum extraordinariam, subsidiariam, mediatam.

Sedulo notanda est hæc diversitas acceptionis, ut facile concilientur controversiæ quibus occasionem præbuit.

4° Ratione *objecti* circa quod versatur. Potest versari vel circa hominum actiones, vel circa rerum administrationem. Hæc ultima jurisdictio vocatur *œconomica ;* ille qui illam gerit, *œconomus :* improprie tantum hoc jurisdictionis titulo decoratur.

Propria illa est jurisdictio quæ morum rectrix existit moderatrixque. Hæc autem, pro vario themate circa quod moderari debet actus christianorum, vel versatur circa fidei magisterium, vel circa custodiam ecclesiasticæ disciplinæ. Utroque in casu, pro variis functionibus seu attributis potestatis gubernativæ, vel leges dicit, vel lites definit, vel delicta coercet. Unde trifarie dividitur, nempe in legislativam, judicialem et coercitivam jurisdictionem.

VI. Utraque autem hæc potestas (ordinis nempe et jurisdictionis), licet insit clericatui universim sumpto, tamen non competit utraque singulis clericis, nec eadem mensura eademque proportione. Namque inter ipsum generalem statum clericalem distinguuntur varii peculiares status singulorum clericorum pro gradu nempe quo de alterutra potestate participant. Unde duplex exurgit hierarchia, quarum altera *ordinis* dicitur, altera *jurisdictionis*, de quibus separatim dicemus.

CAPUT II.

DE HIERARCHIA ORDINIS.

I. De numero graduum in hierarchia ordinis.

I. Hierarchia constat ex numero et differentia plurimorum graduum ex quorum harmonica dispositione sacer resultat principatus. Jam vero illa quam dicimus, ordinis hierarchia tres gradus complectitur, episcopatum scilicet, presbyteratum et ministerium; et hoc est de fide, à concilio nempe Tridentino definitum, sessione 23, can. 6°.

Si vero hanc dogmaticam theoriam facto applicemus, aliqua videtur oriri difficultas ex eo quod ecclesiastica disciplina in trinum numerum ordinum non desinit, sed computationem ultra prosequitur, alio quidem modo apud Græcos, alio iterum apud Latinos.

Græci tres ministrorum gradus presbyteratui inferiores computant, diaconos nempe, subdiaconos et lectores; Latini vero quinque, scilicet post diaconos et subdiaconos, acolythas, exorcistas, lectores et ostiarios.

Quapropter dum concordat utraque disciplina in retinendis gradibus episcopatus et presbyteratus, discrepat in determinandis gradibus hujus ministerii, quod ad hanc pertinet hierarchiam.

II. Quapropter dubium hoc nascitur : suntne omnes isti ministerii gradus divinæ institutionis? pertinentne omnes ad hanc hierarchiam quam concilium Tridentinum dixit esse divinitus institutam? Ut huic difficultati respondeatur, sicque determinetur numerus graduum qui ad hanc hierarchiam spectant, animadvertendum est jure divino præter summos episcopatus et

presbyteratus gradus fuisse institutum et ministerium, seu ordinem ministrorum qui episcopis et presbyteris in sacris inservirent; hoc item ministerium fuisse ab apostolis collatum diaconis, qui propterea in plenitudinem hujus ministerii assumpti sunt.

Sed hoc diaconorum ministerium non consistebat in materia ita individua ut in quosdam gradus distingui non posset. Plura comprehendebat officia, alia nobiliora, alia inferiora, prouti magis vel minus ministerio episcoporum vel presbyterorum accederet.

Quapropter Ecclesia, sive ut levaret laboriosum diaconorum officium, aucto præsertim fidelium numero , sive ut aucto clericatu prospiceret commodiori magisque decoræ sacrorum administrationi, sive ut inferiores clericos veluti per quoddam tirocinium ad diaconatum et per eum ad superiores disponere intenderet, plura officia quæ in ipso diaconorum officio comprehendebantur, ab illo excerpsit et in inferiores quosdam gradus distinxit.

Unde remanserunt quidem diaconi ministri κατ' ἐξοχὴν qui nempe primi essent inter omnes, qui in se comprehenderent eminenter omnia quæ in inferioribus ministerii gradibus habebantur. Sed alii inferiores clerici in participatione ministerii diaconalis adscripti sunt.

Hoc principium generaliter sumptum utraque amplexa est Ecclesia; sed in determinandis his gradibus diaconatui inferioribus, longius computationem protraxit latina quam græca. Ista duos tantum recensuit hujus inferioris ministerii gradus, illa vero quinque, quorum enumerationem supra tradidimus.

III. Sed omnes isti gradus ministerii in tantum tales habentur, in quantum de plenitudine ministerii diaconalis participant, tanquam rivi vel surculi qui ex illo

fonte dimanant. Propterea non pertinent ad hanc hierarchiam divina institutione, nisi in quantum quædam officia ministerii diaconalis per ecclesiasticam disciplinam illis tribuuntur. Unde si hujus modi ordines diaconatui inferiores sumantur in suo respectivo gradu determinato, ut sic non divinæ sed humanæ sunt institutionis. Sed si in ordine sumantur ad ministerium de quo participant, eos divinitus institutos fatendum est. Unus autem gradus certe divinæ institutionis est, ille nempe qui integram habet ministerii rationem, scilicet diaconatus. Et hæc de numero graduum in ecclesiastica hierarchia dicta sufficiant. Nunc de illorum differentia disserendum est.

II. De illorum graduum differentia.

IV. Differentia graduum potestatis ordinis desumitur ex diversa habitudine quam singuli servant ad sacramentorum ministerium, quod hujus potestatis objectum est. Ergo si determinatum fuerit quale et quantum singulis competat sacrorum ministerium, jam differentia variorum graduum erit determinata. Porro sacramenta alia dicuntur in specie, alia sacramentalia. Inter sacramenta proprie dicta unum omnibus excellentius habetur, Eucharistia nempe, non tantum quia sacramentorum continet auctorem, sed etiam quia majorem servat ordinem ad sacrum ministerium, siquidem actualis illius confectio sacrificium est.

Sub triplici generali respectu considerari potest differentia graduum potestatis ordinis, nempe 1° in ordine ad sacrificium, 2° in ordine ad cætera sacramenta, 3° in ordine ad sacramentalia.

V. Et primum de hac differentia *in ordine ad sacrificium.*

Duo sunt gradus potestatis ordinis qui diriguntur ad sacram Eucharistiam conficiendam, seu ad sacrificium offerendum : episcopalis nempe et presbyteralis ordo. Unde dicuntur soli ordines sacerdotales.

Utrique hujus ordinis gradui eadem competit potestas quoad actualem Eucharistiæ celebrationem; sed id amplius habet episcopalis ut facultatem habeat perpetuandi hoc sacerdotium, hoc sacrificium per ordinationem inferiorum sacerdotum, seu presbyterorum. Unde episcopatus sacerdotium primi ordinis, presbyteratus sacerdotium secundi ordinis dici possunt. Utriusque autem idem prorsus jus est ac ratio in ordine ad sacrificium.

Sed simplex ministerium modo proximius, modo remotius ad opus illud sacrificandi, quod solis competit sacerdotibus, in Ecclesia accedit. Unde sub hoc respectu tota hierarchia ordinis posset distingui in duos gradus generales, sacerdotium nempe et ministerium, quorum uterque recipit in se subalternos gradus.

VI. Si vero consideraverimus potestatem ordinis *in ordine ad cæterorum sacramentorum confectionem et dispensationem*, singuli diverso modo in id possunt cooperari.

Nam 1° duo sunt sacramenta quorum conficiendorum auctoritas solis datur episcopis, seu quorum collatio actus est proprius ordinis episcopalis : confirmatio scilicet et ordo, quorum ordinarius minister episcopus est, dum cæterorum conficiendorum potestatem habent episcopi cum presbyteris communem.

2° Exceptis his duobus sacramentis episcopali ordini reservatis, et fortasse matrimonio, ob singularem hujus sacramenti naturam, cæterorum omnium conferendorum minister ordinarius presbyter est.

3° Diaconi nullius sacramenti conferendi ministri

ordinarii habentur; sed potius vi ordinis sui, mediati sunt ministrorum ordinariorum ministri, seu tantum mediatum officium habent in ordine ad collationem sacramentorum, in quantum scilicet sacerdotibus ministrantibus proximum impertiuntur ministerium. Solum possunt esse extraordinarii ministri, in defectu ordinarii, quoad duo sacramenta, baptismum nempe et Eucharistiæ dispensationem.

4° Cæteri gradus ministerii inferioris nullam vi ordinis sui habent potestatem nec ordinariam, nec extraordinariam, in conferendis sacramentis. Solum vi ordinis possunt operam præstare modo propinquiori, modo remotiori illis qui sacramenta administrant. Quod si horum ministerium eo usque pertingat ut proxime ad altare ministrent et aliquem actum exerceant publicum circa vasa sacra, tunc sacri hujusmodi ordines dicuntur; quod accedit subdiaconis apud Latinos.

VII. Si vero consideraverimus differentias potestatis ordinis *in ordine ad sacramentalia*, sicut Ecclesia instituendo dicta sacramentalia imitata est jus divinum in institutione sacramentorum, ita analogia servata videtur ut eorum sacramentalium minister sit ordinarius et extraordinarius qui talis se habet quoad ipsa sacramenta, quorum naturam imitantur.

Duæ enim sunt generales sacramentalium categoriæ; alia quæ perficiuntur per sacras unctiones, alia quæ per aspersionem aquæ benedictæ. Ista *benedictiones* dicuntur, illa vero *consecrationes*. Jam vero sacramentalia primi ordinis, nempe consecrationes, comparantur cum sacramentis confirmationis et ordinis, quippe hæc sacramenta per sacri olei unctiones conferuntur. Sacramentalia secundi ordinis comparantur cum baptismo qui per aquam ministratur.

Unde hæc in genere possumus constituere in ordine ad ministerium sacramentalium :

1° Omnia sacramentalia quæ consecratione conficiuntur jure ecclesiastico episcopali ordini reservantur, sicuti divino jure episcopalis ordinis propria est collatio confirmationis et ordinis.

2° Benedictiones quæ per aquam lustralem perficiuntur proprium ministerium est presbyteralis ordinis. Unde jure ecclesiastico presbyter horum omnium generatim loquendo ordinarius est minister, sicut jure divino baptismatis est minister ordinarius.

3° Inferiorum ordinum gradus, sicuti jure divino nullius sacramenti ministerium habent, ita nec sacramentalium conficiendorum jure ecclesiastico. Sed cum sacramentalia sint puræ institutionis ecclesiasticæ, propterea ad Ecclesiæ arbitrium possunt illorum ministri extra ordinem constitui. Inde est quod aliquando etiam inferioribus ordinibus alicujus ministrandi sacramentalis potestas tribuitur, vel etiam aliqua hac in re dari potest dispensatio, quæ divini juris non sinit immobilitas, in ordine videlicet ad sacramentorum administrationem.

CAPUT III.

DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS.

I. Ad instar divini juris quod ab initio constitutum est, suprema in Ecclesiam tribuitur auctoritas non tantum uni singulari personæ (Petro), sed etiam universitati (collegio apostolorum Petro cohærentium); quod sic constituebat subjectum supremæ potestatis tum in una persona physica, tum in una persona morali, seu collegio, continuo verificatur in œconomia ecclesiasticæ jurisdictionis, ut nempe hujus gradus re-

periantur non tantum in personis individuis, sed etiam in integris collegiis clericorum.

Unde hæc tractatio in duos articulos dividenda est, quorum primus erit de hierarchia jurisdictionis ecclesiasticæ in singulis clericis considerata, alter vero de hac ipsa hierarchia in collegiis clericalibus considerata.

ARTICULUS PRIMUS.

De hierarchia jurisdictionis in singulis clericis.

II. Jurisdictio, ut supra dictum est, essentialiter delegabilis est. Non tantum ideo consideranda est in gradibus originariis, divino jure constitutis, sed etiam in iis gradibus qui ex humana Ecclesiæ institutione accesserunt. In hac generali tractatione de hierarchia jurisdictionis considerata in clericis sigillatim sumptis, primo loco de iis gradibus dicendum est qui ex divina institutione sunt, secundo de illis qui ex ecclesiastica tantum.

§ I. DE GRADIBUS QUI SUNT EX DIVINA INSTITUTIONE.

III. Quoad primum spectat, si divinam Ecclesiæ constitutionem recolamus, duos invenimus gradus ecclesiasticæ auctoritatis tributos a Christo clericis sigillatim sumptis : videlicet pontificatum supremum et inferiorem episcopatum. Quapropter sine dubitatione possumus asserere hierarchiam divina ordinatione inter singulos clericos institutam, duplici gradu constare : pontificatu maximo et inferioris ordinis episcopatu.

Sed pontificatus maximus eo ipso quod maximus est, id est supremus in suo ordine, jam fuit per consequens divino jure absolute et plenissime determinatus.

Secus inferioris ordinis episcopatus eo ipso quod ex sua institutione fuit superiori obnoxius auctoritati, fuit in statu recipiendi ab illa suam determinationem in concreto. Quapropter vaga illa pascendi vel regendi auctoritas, quæ divina institutione episcopatui competeret cum hoc limite dependentiæ a pontificatu maximo, ecclesiastica fuit institutione determinata ad ordinarium regimen, ordinariumque gubernium unius territorii ecclesiastici seu diœceseos, sive quod idem est ad ordinarium regimen aggregationis illius ecclesiasticæ quæ in illo territorio comprehenderetur. Hæc aggregatio partialis seu donata pastore et ipsa dici cœpit Ecclesia particularis, sicut et universalis Ecclesia, universali donata pastore, κατ' ἐξοχὴν hoc Ecclesiæ nomine insignita est.

Posita hac primitiva Christi institutione, adjecta hac positiva determinatione gradûs episcopalis, inde videmus quod sicuti Ecclesia universalis sese repræsentat distincta in tot minusculas societates, aliquo modo perfectas, ita hic duplex auctoritatis gradus, superioris et inferioris, sese repræsentat ut gradus gubernativæ, rectoriæ, pastoralis auctoritatis, hac sola facta differentia, quod alter ordinetur ad gubernium societatis universalis, alter vero ad gubernium societatis particularis; alter sit centrum circa quod vertitur œconomia totius Ecclesiæ, alter sit centrum circa quod vertitur systema regiminis peculiaris Ecclesiæ, ad centrum commune quidem coordinatus.

Inde vidimus quæ principia statui possunt ad determinanda jura sive Summi Pontificis, sive singulorum episcoporum respective ad regimen tum universalis Ecclesiæ, tum peculiaris.

IV. 1° Uterque hic gradus jurisdictionis, data proportione, est gradus originariæ jurisdictionis. Nam

sive summus pontificatus, sive inferioris ordinis episcopatus, divinæ sunt institutionis, sed data proportione; namque summus pontificatus absolute et omnino divinæ est institutionis. Fuit divino jure undequaque determinatus eo ipso quod institutus; non autem sic de episcopatu. Nam, licet fundamentalem suam institutionem repetat ex jure divino, suam tamen concretam determinationem recipit ex jure ecclesiastico.

Sed uterque, facta hac simplici differentia dataque proportione, est gradus ordinariæ auctoritatis. Hæc ordinaria auctoritas, quippe quæ est in præsumptione sui, hoc principio procedit : *Ea omnia possunt quæ jure superiori non prohibentur.*

Hoc superius jus pro Romano Pontifice solum est jus divinum; nam alteri auctoritati in ordine suo non subditur. Pro episcopo autem non tantum divinum jus est, sed etiam jus quod a superiori auctoritate ecclesiastica dimanat. Ergo eo usque potest Romanus Pontifex in universali Ecclesia quousque illi limes non demonstretur appositus ex jure divino; eo usque potest episcopus in sua diœcesi quousque non demonstretur limes ei appositus fuisse vel jure divino, vel jure humano ecclesiastico.

2° Uterque hic auctoritatis gradus est gradus ordinariæ jurisdictionis, in quantum de jure communi adhæret officio vel pontificatus maximi vel episcopatus diœcesani. Eapropter vel collatione officii, vel cessatione ejusdem, jurisdictio ipsa vel acquiritur vel omittitur.

3° Uterque hic auctoritatis gradus est gradus ordinariæ jurisdictionis, etiam sub respectu auctoritatis veræ et propriæ, pastoralis nempe, rectoriæ vel gubernatoriæ. Nam sive summus pontificatus pro universa Ecclesia, sive diœcesanus episcopatus pro

peculiari, non ad id est institutus ut nempe sucurrat casibus extraordinariis, tanquam auctoritas subsidiaria, sed ad ordinarium et pastorale regimen, respective scilicet aut Ecclesiæ universalis, aut diœcesanæ.

Unde *ordinarius* dicitur Romanus Pontifex pro universali Ecclesia, sicut et episcopus in sua diœcesi. Unde iterum sive Romano Pontifici pro universa Ecclesia, sive episcopis pro sua cuique particulari Ecclesia, ea competant omnia necesse est, quæ ad plenum regimen requiruntur societatis illius cujus respective rectores existunt. Hæc autem duo sunt : *ordinatio rerum*, et *ordinatio personarum* in finem societati præstitutum. Unde utrique gradui respective competit tum *œconomica* tum *gubernativa* potestas, etc.

4° Directio seu ordinatio personarum in finem, jure ecclesiastico, quoad duo attenditur : principia nempe dogmatica et morum disciplinam. Unde quibus competit ordinarium regimen alicujus Ecclesiæ, competit et magisterium in fide, imperium in mores. Sed tale ordinarium regimen habent sive Summus Pontifex, sive episcopus respective. Unde habendus est uterque tanquam magister et imperator respectivus illius sive totalis sive partialis societatis quæ cuique commissa habetur.

V. *De divisione potestatis quam societas perfecta habet in suos.* Hæc imperandi potestas, de qua hactenus, tria complectitur : 1° facultatem legislativam, ut nempe eadem norma actionibus omnium sociorum determinetur in finem ; 2° potestatem judiciariam, ut dubia removeantur quæ in legis applicatione possunt exurgere ; 3° potestatem coercitivam, ut eos qui legis ordinationi resistunt, vi legis contineantur. Unde sive Romanus Pontifex, sive unusquisque episcopus, proportione data,

habent de officio hanc trinam potestatem respective in universa vel in peculiari Ecclesia. Et id ut, ob præstantiam argumenti, plene declaretur, refert explicationem a clar. P. Tarquini nuperrime datam exscribere [1] :

« Potestas , quæ pro ejus natura societati perfectæ in suos competit, generali hac regula continetur : *Ut, quæ sunt necessaria ad finem plene consequendum, exigere jure possit; quæ non sunt necessaria , non possit; quæ vero necessaria sunt , sed pertinent ad ordinem quemdam superiorem , ea per se ordinare et determinare non valeat.*

» *Probatur* 1a *pars* jus aliquid exigendi correlativum est officio , quod alteri parti inest, illud præstandi. Atqui pro natura societatis singulis ejus membris inest officium sponte susceptum , si societas sit voluntaria, legitime impositum, si necessaria, conferendi in societatem vires suas ad ea comparanda , quæ sunt necessaria ad ejus finem plene integreque assequendum. Ergo societati pro sua natura inest jus eadem ab illis exigendi.

» *Prob.* 2a *pars, id est quæ nullo sub respectu necessaria sunt ad finem consequendum* , *eadem a societate exigi pro sua natura non posse.* Fundamentum potestatis , quam pro sua natura societas habet exigendi aliquid a suis, situm est in necessario ejusdem nexu cum ipsius societatis fine , ita ut qui alterum vult, alterum quoque velle omnino debeat ; atqui in iis , quæ nullo sub respectu ad finem sunt necessaria, ejusmodi nexus non habetur ; ergo in iis , quæ nullo sub respectu ad finem sunt necessaria , nullum est societati fundamentum, adeoque nullum jus eadem pro sua natura exigendi.

» *Prob.* 3a *pars* jus est potestas ad illud, quod ad

[1] Juris eccl. pub. instit., auct. Cam. Tarquini. — Romæ, 1862.

rationis, adeoque ad ordinis normam competit. Atqui ordini repugnat, ut ea, quæ ad ordinem superiorem pertinent, quisquam ordinet, ac determinet. Ergo jus ordinandi ac determinandi ea, quæ pertinent ad ordinem superiorem, in societate esse non potest.

» Jam vero ex prædicta generali regula totum evolvitur potestatis systema, quam perfecta societas habet *in suos;* siquidem adæquata divisio ex ea profluit potestatis ejusdem, quæ est in *legiferam, in judiciariam,* et in *coactivam. Prob.* Ex regula generali tota potestas, quam vi suæ naturæ societas perfecta habet *in suos*, consistit in jure exigendi, quæ necessaria sunt ad finem plene assequendum. Atqui ad finem plene assequendum tria hæc tantum requiruntur : 1° ut media, quæ ad finem conducunt, obligatorio modo proponantur ; 2° ut quæ proposita sunt, rite, id est juxta eum modum ac sensum, quo fuerunt proposita, applicentur ; 3° ut renuentes eadem applicare, vi adhibita, cogantur, impedientes coerceantur ; ex quibus primum constituit potestatem *legiferam*, alterum *judiciariam,* tertium *coactivam.* Ergo adæquata potestatis divisio, quam vi suæ naturæ societas perfecta habet in suos, in legifera, in judiciaria, in coactiva potestate adæquate continetur.

» De hac igitur triplici potestatis specie singillatim jam est agendum.

VI. » *De potestate legifera.* Potestas *legifera* est potestas proponendi obligatorio modo quæ ad societatis finem assequendum sunt necessaria. Qua notione posita, hæ propositiones ex iis, quæ jam dicta sunt, dimanant.

» 1° *Potestas legifera societati perfectæ certissime in suos competit. Prob.* Competit societati perfectæ jus exigendi a suis quidquid necessarium est ad finem

consequendum. Atqui ad finem consequendum pro humani intellectus diversitate, et voluntatis inconstantia, indomitoque cupiditatum æstu in qualibet agentium multitudine, necessaria est potestas aliqua, quæ habeat jus designandi media, atque omnes ad eadem adhibenda obligandi ; qua in re potestas legifera consistit. Ergo potestas legifera societati perfectæ certissime competit.

» 2° De legum opportunitate aut necessitate competit societati perfectæ judicare ac decernere, suaque membra judicio suo subjicere, nisi forte manifeste erroneum illud sit. Probatur eodem argumento, quo superior propositio.

» 3° In iis, quæ pertinent ad ordinem superiorem, nulla est societati legiferæ potestas, nisi forte ad urgendam eorumdem executionem, cum jam determinata fuerunt ab eo, cui superioris ordinis cura commissa est.

» Jam igitur ad ipsam applicationem mediorum gradus est faciendus, id est ad potestatem, quæ de illa judicat, seu *ad potestatem judiciariam.*

VII. » *De potestate judiciaria.* Potestatis *judiciariæ* hoc proprium esse diximus, efficere, ut media proposita applicentur rite, id est juxta eum modum ac sensum, quo per potestatem legiferam sunt proposita : quod quidem duo involvit *judicia,* alterum de vero legum sensu, alterum de sociorum actionibus, utrum nimirum prædicto legum sensui conformes sint, necne : unde ejusmodi potestas recte *judiciaria* appellatur. Quibus præmissis, sequitur

» *Propositio.* Competit societati perfectæ potestas judiciaria.

» *Prob.* Competit societati perfectæ jus exigendi a suis quidquid necessarium est ad finem consequendum.

Atqui ad finem consequendum necessarium est, media per potestatem legiferam proposita rite applicari; id autem spectata rectæ applicationis natura, humanique intellectus diversitate, perversarumque cupiditatum æstu, quo non raro transversum agimur, fieri nequit, nisi in ipsa societate potestas sit, cui parere omnes teneantur, de vera justaque mediorum applicatione tum in se, tum relate ad sociorum actiones judicandi; qua in re potestas judiciaria consistit. Ergo competit societati perfectæ potestas judiciaria.

» *a*) Confirmatur propositio quoad primam potestatis judiciariæ partem, id est competere societati perfectæ jus cognoscendi de vera justaque mediorum applicatione in se spectata, quatenus nimirum ad eum modum ac sensum facienda sit, quo eadem media per potestatem legiferam fuere proposita. Ejus est cognoscere de vero legum sensu, cujus est ferre leges, tum quia nemo melior interpres est, quam ipse sui, tum quia jus cognoscendi de legibus cohæret necessario potestati legiferæ, quæ inutilis fieret, si alteri independenter a legislatore arbitrium concederetur eas ad sensum suum detorquendi. Atqui societati competit in suos potestas ferendi leges; ergo etiam potestas cognoscendi de legibus.

» *b*) Confirmatur quoad alteram partem, id est competere societati perfectæ jus cognoscendi de sociorum actionibus, utrum vero legum sensui conformes sint. Ejus est cognoscere de actionum conformitate vero legum sensui, cujus est verum legum sensum determinare. Atqui ejusmodi potestas societati perfectæ ex dictis competit; ergo etiam altera.

VIII. » *De potestate coactiva. Propositio.* Competit societati perfectæ potestas coactiva.

» *Prob.* Ad societatis finem obtinendum non est suf-

ficiens potestas *mere directiva*, id est potestas quædam magisterii, quæ media indicet, modumque ea adhibendi commonstret, sed necessaria est potestas vere *coactiva*, quæ contumaces, vi externa adhibita, coerceat, sive illi renuant applicare media, quæ per potestatem legiferam proposita sunt, sive nolint decretis potestatis judiciariæ eadem rite applicari jubentis parere, sive denique societatis finem, aut mediorum œconomiam quoad alios impediant: siquidem homines non ignorantia tantum, verum etiam malitia et contumacia societatem turbare solent; neque etiam desunt, qui naturalis vitii necessitate id faciunt; malitia autem et contumacia, multoque magis naturalis necessitas nonnisi vi externa opposita cohiberi potest. Ergo competit societati perfectæ potestas coactiva.

» *a*) *Confirm.* Societati perfectæ competit potestas legifera et judiciaria. Atqui utraque potestas exigit potestatem coactivam; secus enim foret inefficax. Ergo, etc. [1].

» Hinc potestatis coactivæ theoria facile explicatur. Et primo quidem naturale fundamentum dignoscitur potestatis coactivæ, quod est necessitas tutelæ ordinis socialis, ne finis assecutio impediatur; quando quidem hæc est unica ratio sufficiens ejusmodi potestatis. »

Hæc de suprema potestate ecclesiastica sufficiant, cum de prærogativis Summi Pontificis speciali modo disserunt theologi.

IX. *De potestate episcopali speciatim.* Episcopi olim eligebantur a toto clero, accedente consensu populi.

[1] De potestate coactiva Ecclesiæ consuli potest *Zacaria Dissert. inscripta « Comandi chi puo, etc. » Num. XXII usque ad finem; et Bianchi Della esterior polizia della Chiesa. Lib. I., cap. V, § VI.*

Deinde facultas eos eligendi ad solos cathedralium canonicos redacta fuit; tandem Romani Pontifices, inde a Clemente V., cœperunt sibi reservare nominationem ad quosdam sedes episcopales. Nostris vero temporibus, nominatio illa per specialia concordata determinatur.

Confirmatio. Episcoporum hodie non ab alio quam a Romano Pontifice potest fieri : formato processu de vita et moribus promovendorum, *præconisatio* fit in primo consistorio, quæ vicem electionis habet, et in secundo consistorio fit altera præconisatio, quæ vim habet confirmationis.

Sic electus et canonice confirmatus integræ jurisdictionis potestate statim pollet, et potest, secundum jus quod ei competit, rationem administrationis officii exigere a vicario capitulari, tempore sedis vacantis constituto, et si reus reperiatur, punire.

Tenetur tamen confirmatus intra tres menses a die confirmationis munus *consecrationis* suæ sumere, sub pœna amissionis fructuum ; et si intra tres alios menses id non impleverit, Ecclesia et episcopatu ipso jure privatur. Consecratio non debet fieri a minori numero quam trium episcoporum, saltem necessitate præcepti.

Potestas episcopi, quæ est subordinata, potest considerari : 1° quoad *quæstiones fidei*, seu quoad leges dogmaticas. Liquet ex dictis de personali prærogativa infallibilitatis in R. P. et simul ex ipsa natura fidei, episcopum non posse definire quæstiones ad fidei doctrinam pertinentes. Imo non debet, ut ait Benedictus XIV (in tract. de syn. diœc.), sibi arrogare partes judicis inter gravissimos theologos secum contendentes.

Inde jam sequitur episcopum non habere potesta-

tem legislativam in sacram liturgiam, præterquam quod id expresse sibi reservavit S. Pontifex.

2° Si ageretur de legibus mere *disciplinaribus,* potest episcopus præscribere in sua diœcesi quidquid ad bonum commune confert, dummodo istæ constitutiones non opponantur juri communi, seu legi superioris. Inde potest statuta condere, etiam extra diœcesanam synodum, et quidem sub pœnis et censuris. Sed non potest dispensare in universalibus Ecclesiæ legibus, cum nulla inferiori potest esse potestas dispensandi a legibus superioris, nisi hæc potestas ei a superiore concedatur : sic, v. g., nequit episcopus per legem generalem dispensare a lege quadragesimali, etsi id possit ex justa causa cum particularibus personis.

3° Potestatem mere *administrativam* et *œconomicam* episcopi, tum quoad sacros ordines conferendos aut denegandos, dispensationes ab irregularitatibus, tum quoad impedimenta matrimonii, confessariorum sæcularium et regularium approbationes, et jurisdictionem, reservationem casuum, aut ab iisdem absolutionem, etc., plenius definire non spectat ad tract. gen., et alias in titul. de rebus hæc omnia versantur. Ad majorem etiam tractationem pertinet recensere ea quæ concernunt episcopi præcedentiam, sedem, seu *jura honorifica* [1].

Satis de gradibus hierarchiæ ecclesiasticæ qui divinæ sunt institutionis. Nunc de illis qui ex-institutione ecclesiastica ortum habent.

[1] Vide Ferraris biblioth.; Cf. collectionem decret. S. Cong. C. a Zamboni editom.; vox *Episc.*

§ II. DE GRADIBUS QUI SUNT EX INSTITUTIONE ECCLESIASTICA.

X. Cum duæ tantum sint in ecclesiastica hierarchia dignitates quibus de jure divino competat jurisdictio, ut supra vidimus, sponte sequitur omnes alios jurisdictionis gradus qui in hac hierarchia reperiuntur, vel de uno vel de alio fonte participare, seu quod idem est, ab uno vel ab altero suam mutuare auctoritatem, vel illam repræsentare dignitatem cujus tanquam vicarii habendi sunt.

Quapropter hujus modi gradus omnes ad duas principales categorias reduci possunt :

Prima amplectitur omnes illos gradus ecclesiasticæ dignitatis qui ex una parte non habeant divinam institutionem, ex altera autem diœcesano episcopatui non subjiciantur, qui nempe traducendi sunt tanquam gradus delegatæ seu derivatæ auctoritatis a pontificatu maximo, tanquam totidem gradus repræsentativi seu vicarii Summi Pontificis.

Ad *aliam* vero categoriam spectant omnes gradus ecclesiasticæ auctoritatis qui, cum coadjuvent episcopo pro diœcesano regimine et illi seu illius auctoritati subjiciantur, non sunt nisi totidem vicarii gradus ipsius episcopatus.

XI. Quod ad primam categoriam spectat, si ad analysim revocemus, multiplices gradus ecclesiasticæ dignitatis qui pro suæ institutionis natura non sustinent nisi quemdam pontificium vicariatum, videntur reduci posse ad duas distinctiones præcipuas : differunt vel quantitate auctoritatis quæ illis commissa est, vel modo quo illis conceditur.

Quantitate : Aliis enim commissa est quædam auctoritas supraepiscopalis.

Modo : Aliis commissa est auctoritas quædam quasi episcopalis.

Aliquando hi gradus supraepiscopales vel quasi episcopales certis sedibus adnectuntur, sicque cuidam rei adhærentes habentur tanquam dignitates reales quæ prius concipiuntur inesse rei et per rem personæ acquiri. Aliquando autem hujusmodi gradus directe personæ conferuntur, et ideo concipiuntur tanquam dignitates mere personales. Unde hanc tractationem cogimur in duas partitiones dividere, quarum prima erit de dignitatibus illis quas supraepiscopales diximus, altera de illis quæ quasi episcopales, utriusque tum realibus, tum personalibus.

De gradibus qui vicariatum R. Pontificis gerunt.

I. De dignitatibus ordinis supraepiscopalis realibus.

XII. Et primo de dignitatibus ordinis *supraepiscopalis* et de illis quidem quas *reales* diximus, quæ nempe quibusdam episcopalibus sedibus inhærent.

Inspecta simplici distributione diœceseon, omnes episcopi fuissent dignitate pares inter se ; nemo alteri subjectus fuisset, præter generalem illam omnium subjectionem Summo Pontifici qui præest universis. Sed jam tum ab initio incommoda nimis visa est hæc regiminis ratio, qua deberet unus Summus Pontifex gestioni singulorum episcoporum per se advigilare. Institui ergo cœperunt episcopi episcopis superiores, qui nempe dum ex una parte Summo essent Pontifici subjecti, ex alia summum ipsum pontificatum inferioribus episcopis repræsentarent, et ita veluti intermediis vinculis pontificatus supremus et episcopatus inter se colligarentur et in obedientia subditi continerentur.

Sic et in quavis ordinata republica, plures sunt intermedii magistratus, quorum singuli pro ordine suo

majestatem principis repræsentant quasi per seriem vel catenam quamdam quæ a principe usque ad infimum magistratum descendit, et iterum ab infimo omnium magistratu ad principem usque revertitur.

Itaque jam tum a primitivis evangelicæ prædicationis temporibus videmus quosdam fuisse institutos episcopos qui non tantum suæ præessent diœcesi, sed etiam omnium Ecclesiarum alicujus provinciæ curam sustinerent. Ita Titus non fuit a Paulo relictus Cretæ, nec Timotheus Ephesi, ut tantum Creteam vel Ephesinam Ecclesiam administrarent, sed ut et omnium Ecclesiarum quæ tum in insula Cretæ, tum in provincia Asiatica fundatæ fuerant, sollicitudinem haberent.

Porro quum in delectu harum civitatum quarum episcopis hæc superepiscopalis dignitas conferretur, electæ fuerant metropoles provinciarum quo facilior pateret ad easdem accessus : inde est quod hæ sedes episcopales metropoleos nomine donatæ sunt, prout jam in ordine civili usuvenerat.

Successu temporum, quum politicæ vicissitudines metropoles immutaverint, dicti sunt potius simpliciter *archiepiscopi*, tanquam capita episcoporum comprovincialium, qui in ordine ad illos dicti sunt *suffraganei*.

XIII. Eadem ferme proportione qua instituebantur episcopi metropolitæ super episcopos comprovinciales, institui etiam cœperunt et episcopi qui metropolitis etiam præessent, nempe qui præessent omnibus provinciis ecclesiasticis quæ in aliquo regno vel natione continerentur. Dicti sunt isti apud Latinos *primates*, *exarchæ* vero penes Græcos. Sic habemus primatem Cantuariensem pro Anglia, Salisburgensem pro Germania, Lugdunensem pro Galliis, Toletanum pro Hispania, etc. Tres autem fuerunt exarchatus penes

Græcos : Cæsariensis in Ponto, Heracleensis in Thracia, Ephesinus in Asia Minore.

Quemadmodum ad instituendas sedes metropolitanas delectæ sunt civitates quæ jam essent jure politico in provincia principes, ita ad instituendas primatiales vel exarchales, delectæ sunt civitates illæ quæ principes essent in regno vel natione. Hoc quippe prodesse visum est regiminis ecclesiastici administrationi.

Ultra etiam progressa est ecclesiastica disciplina : eadem namque proportione vel simili ratione qua metropolita supra episcopos, primas vel exarcha supra metropolitas, patriarchas etiam esse voluit, qui supra ipsos primates constituti, supremum gradum in sua jurisdictione obtinerent.

Sed in delectu sedium patriarchalium, non eodem procedere visa est principio quo in primatum metropolitarumque institutione. Nam non illæ delectæ sunt sedes quæ subsisterent in civitatibus inter alias principibus juxta ordinem politicum ; sed hic honor delatus est tribus tantummodo sedibus quæ, ut ait antiquitas, a Petro apostolorum principe sublimatæ fuerant : Antiochenam nempe quam ipse rexit et in qua supremum Ecclesiæ gessit principatum, quem postea secum Romam transtulit ; Alexandrinam, quam per discipulum suum Marcum fundavit et rexit ; demum Romanam in qua definitive summum statuit pontificatum quamque suo sanguine decoravit.

Sed his tribus patriarchalibus primitivis sedibus, duo etiam successu temporum accesserunt : Hierosolymitana nempe et Constantinopolitana. Quoad primam in canone septimo concilii Nicæni, episcopo Æliæ (sic nuncupata Hierosolyma post eversionem suam) ad honorem locorum sanctorum peculiaris decernitur præ cæteris episcopis honor, salvo metropolis jure,

qui tamen lapsu temporis in veram et propriam jurisdictionem conversus est; donec per concilium Chalcedonense controversiæ quæ inde natæ fuerant, componerentur, assignata nempe sua sedi Æliensi territoriali jurisdictione, qua remaneret et ipse patriarchatus Antiochenus imminutus, confirmatoque patriarchali quod sibi jam tribuere cœperat nomine.

Quoad secundam : translata Byzantium imperatoria sede, mox cœperunt dictæ civitatis episcopi, ea sibi jura vindicare quæ a Romano Pontifice exercere videbant (contra sextum concilii Nicæni canonem, juxta quem solùm, præter Romanum Pontificem, Alexandriæ et Antiochiæ episcopi tanquam patriarchæ habebantur), quasi jurisdictio ecclesiastica imperatorii civilis vicissitudines sequi debuisset.

Mox patrocinantibus imperatoribus faventibusque canonibus conciliorum Constantinopolitani et Chalcedonensis, nec non invecta consuetudine, jura patriarchalia exercere non destiterunt. Quod tandem ab Innocentio III, in concilio Lateranensi IV ratificatum est, tali inter patriarchatus determinato ordine : Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus.

Hi quinque patriarchatus dicti sunt *majores*. Postquam autem illorum diœceses factæ sunt schismaticæ, potius nomine quam re perseverant, siquidem ne memoria interiret harum sedium illustrium, Romæ creantur hujusmodi patriarchæ orientales ad instar illorum episcoporum qui dicuntur *in partibus*, nec ulla gaudent jurisdictione.

Solum e ruinis illorum veterum patriarchatuum emerserunt patriarchæ pro diversis orientalis Ecclesiæ ritibus creati, ut, v. g., patriarcha Constantinopolitanus Melchitarum, patriarcha Antiochenus Syrorum , etc.

Solus hodie reperitur in sua sede patriarcha latinus Hierosolymitanus.

Minores ad majorum distinctionem dicuntur qui titulum habent patriarchalem ; in ordine tamen jurisdictionis non sunt nisi primates, v. g., Ulyssiponensis, Venetus, etc.

XIV. Possunt autem sequentes proponi regulæ de natura horum graduum supraepiscopalium :

1° Non originaria, sed delegata tantummodo auctoritate exercentur, quippe qui non divinæ sed humanæ tantum sint institutionis. Propterea non potuerunt aliqua præditi esse potestate, nisi ab iis participata foret qui divino jure eam præseferebant.

Eapropter ad eorum jura determinanda non procedimus principio illo quod *tantum possint quantum non prohibetur*, quod nempe principium in his tantummodo spectatur gradibus qui divinæ sunt institutionis, sed isto principio quod *tantum possint quantum sibi commissum vel delegatum fuerit.* Ubi sermo sit de gradu ordinariæ jurisdictionis necesse est demonstrare limitem ; secus hæremus in dubio. Ubi autem sermo sit de gradu delegatæ jurisdictionis, necesse est demonstrare positive talem auctoritatem illi fuisse demandatam, secus præsumptio contra eum militat.

2° Auctoritas horum graduum non potest dici ab inferiori episcopatu derivatam fuisse. Ratio est quia hi gradus auctoritate episcopali superiores sunt, profecto non potest inferior auctoritatem sibi superiorem alteri delegare. Unde naturaliter consequitur quod hujusmodi auctoritas non potuerit nisi a summo jurisdictionis gradu delegari ; qui gradus vel in totum, vel saltem eminenter Supremi Pontificis proprius est, secundum quod vel seorsim, vel tanquam caput collegii episcopalis consideratur.

Ergo hi gradus auctoritatis, generatim loquendo non sunt gradus nisi vicariatus apostolici, cujus indicium sunt duo insignia characteristica his gradibus competentia : *crux* quæ ipsis incedentibus præfertur, et *pallium* quod supra vestes pontificales ante pectus et super humeros superinduunt qui hisce dignitatibus decorantur.

Hic mos præferendi crucem, ut probat Thomassinus (De vet. et nov. Ecclesiæ disci. p. 1, l. 2, cap. 58), fuit proprius ab antiquitate solius Romani Pontificis, et primo concessus iis quibus dignitatem hujusmodi ipsi committebant Romani Pontifices, ut nempe, quemadmodum repræsentabant Romani Pontificis dignitatem, ita exteriorem ejus imaginem populis exhiberent. Unde factum est, ut idem dicit ubi de cardinalibus loquitur, quod legati apostolici fere omnibus papalibus insigniis fuerint insigniti ut pressius vividiusque repræsentarent personam ejus cujus vices agerent.

XV. Quod *pallium* spectat, illud originem habuisse eruditissime probavit Clem. Phil. Vespasiani (in speciali dissertatione typis propagandæ vulgata anno 1856) non ab ephod lineo, aut rationali quæ Summus Pontifex Hebræorum ante pectus gestabat, sed a vulgari beati Petri pallio, nec propter mysticas significationes, nec tanquam symbolum secularis cujusdam dignitatis imperatoria auctoritate summo pontificatui adnexæ. Siquidem sumpserunt veteres pallium seu vestem superiorem alicujus personæ tanquam symbolum auctoritatis illius personæ, ita ut per hujusmodi receptionem et usum veluti spiritus et auctoritas illius cujus pallium habuerat in eum translata censeretur, ut facile colligitur ex exemplis ex historia tum sacra, tum profana desumptis.

Ex quo intulit laudatus auctor pontificatum maxi-

mum Petri veluti illius pallio alligatum fuisse censeretur, ita ut qui in illius possessione succederet, pariter et in ejusmodi auctoritate succedere probaretur.

Inde factum est quod Romani Pontifices, qui soli successione pallii sancti Petri gaudebant, ut auctoritatem significarent apostolici vicariatus quod quibusdam committebant episcopis, nonnullas fimbrias seu vittas ab illo distractas illis commisisse quibus, ipsi ad instar pallii humeros circumducerent.

Forte veteri illo amisso vel consumpto, novæ fasciæ laneæ ad instar pallii sancti Petri confectæ sunt, quæ ab ipso Petri corpore sumptæ et a Romanis Pontificibus benedictæ, his episcopis commissæ sunt ut apostolicum vicariatum ipsis mandatum significarent.

Sicuti crux et pallium insignia sunt propria vicariatus apostolici, ita nullus hisce episcopis horum insignium competit usus ubi præsens sit Romanus ipse Pontifex, vel per se vel per suum specialem legatum. Hujusmodi quippe vicariatus seu delagata persona exspirare videtur quum ipse adest delegans, vel per specialem mandatarium, potiori titulo personam ipsius gerentem, adesse censetur.

XVI. 3° Hæc auctoritas est ordinaria in quantum adhæret officio. Nam de jure communi est dignitas patriarchalis, primatialis et metropolitana. Propterea statim ac legitime hoc officio quis fuerit potitus, jam per consequens omnem auctoritatem hujusmodi officio adnexam consequitur.

4° Non solum officio adhæret, sed rei cuidam, sedi nempe vel cathedræ cuidam episcopali. Unde concipitur tanquam dignitas realis. Eapropter statim ac quis consecutus sit sedem illam episcopalem cui hæc supra-

episcopalis dignitas alligatur. eo ipso patriarcha, primas vel metropolita est.

Nec obstat quod statuitur, *cap.* 3, *de usu et auctoritate pallii*, quod archiepiscopus ante pallii receptionem nec archiepiscopi nomen possit assumere; vel quod habetur, *cap.* 28, *de electione*, quod archiepiscopus ante pallii receptionem nec plures possit peragere functiones ordinis episcopalis, sicuti ordinatio clericorum, confectio chrismatis, synodis diœcesanæ convocatio. Nam quoad *primum*, non ideo interdicitur nomen archiepiscopi quatenus ante ipsam pallii susceptionem plura agit vel agere potest quæ propria sunt metropolitanæ jurisdictionis, v. g. committere aliis episcopis episcoporum consecrationem; sed solummodo hic titulus interdicitur ut ex hac privatione moveatur ad petendum pallium, quod de jure debet enixe implorari intra tres menses, ut sic recordetur vicariatus apostolici quem sustinet.

Quoad *secundum*, illæ functiones episcopales ideo interdicuntur quia in illis celebrans uti debet pallio, tanquam complemento vestium pontificalium.

5° Hæc jurisdictio, licet adhæreat officio, imo alligata sit sedi, non est tamen auctoritas regiminis ordinarii, pastoralis, immediati. Nam patriarcha, primas vel archiepiscopus non est episcopus vel pastor ordinarius totius patriarchatus, primatiæ vel archiepiscopatus sibi commissi. Sed in quantum illius auctoritas extenditur extra limites diœceseos sibi assignatæ, in qua vere et proprie tanquam ordinarius pastor habendus est, hæc auctoritas est mediata, meræ vigilantiæ, quæ in casibus extraordinariis imponitur, ubi nempe curanda sit unitas Ecclesiarum nationis, regni vel provinciæ, vel ubi supplendi sint defectus vel corrigendi excessus suffraganeorum, etc.

6° Hæc auctoritas præsertim in Occidente quoad verbum et nomine honoris quidem remansit, sed quoad jura fere exstincta est, excepta ad summum archiepiscopali dignitate, cujus jura aliqua in parte adhuc perseverant. Cæterum potius honoris tituli quam tituli veræ jurisdictionis facti sunt hi gradus auctoritatis. Hujus imminutionis causæ fuerunt magna ex parte legationes apostolicæ quæ sequioribus temporibus obtinuerunt, de quibus infra.

II. De gradibus supraepiscopal's dignitatis qui certis sedibus non inhærent, seu de legatis.

XVII. Jam diu ab antiquitate, quum non possent Romani Pontifices per se consulere omnibus ecclesiasticis negotiis quæ procul ab urbe contingebant, nec per institutionem graduum metropolis, primatus vel patriarchatus huic satis provisum esse videretur necessitati, consueverunt aliis viris munus committere repræsentandæ pontificiæ dignitatis.

Unde qui hoc munere fungebantur *legati apostolici* dicti sunt; quorum multiplices institutiones ad duo genera solent revocari : vel enim extraordinariam gerunt legationem, vel ordinariam :

1° *Extraordinarii legati* illi sunt qui speciali vel extraordinario mandato mittuntur ad procurandum aliquod negotium ecclesiasticum cum auctoritate supraepiscopali. Hos omnes enumerare pene impossibile est, prouti impossibile quodammodo est recensere omnia peculiaria adjuncta quæ hujusmodi extraordinarias postularunt legationes.

Scimus aliquando missos fuisse legatos apostolicos ad concilia seu generalia, seu particularia, ut Romani Pontificis nomine illis præessent; item ad visitandas Ecclesias, prouti, v. g. Petrus Damianus sæc. X° apud

Mediolanenses. Aliquando etiam missi sunt ut nonnullas regerent ecclesias sub nomine vicariorum apostolicorum. Ita plures multiplicesque ac diversissimas novit historia has legationes. Sed hujusmodi extraordinariæ deputationes eo ipso quod extraordinariæ sunt, exorbitant a jure communi; non sunt regulæ, sed exceptiones. Eapropter non possunt jura talium legatorum ad certa revocari principia, cum illa pendent omnino ex singulari mandato quo fuerit ipsa constituta legatio. Quapropter satis sit hoc adnotare principium : Tantum possunt quantum habent in mandatis. Quo posito, ad ordinarias legationes liceat gradum facere.

XVIII. 2° *Ordinarii legati* in duas species subdistinguntur. Alii dicuntur *nati*, alii per oppositionem dici possunt *facti* vel *missi*.

Origo, vicissitudines et fata horum legatorum hæc sunt : consueverunt Romani Pontifices nonnullarum illustrium et dissitarum diœceseon episcopos vicarii apostolici munere donare ut pontificiam auctoritatem in finitimos repræsentarent episcopos. Tales fuerunt, v. g., episcopus Thessalonicensis in Illyrico, Arelatensis et Remensis in Galliis, et ita porro.

Jam vero quum hæ legationes, hi vicariatus qui in primitiva sua origine fuerunt extraordinaria, semper in favorem episcoporum earumdem sedium repetita, non ad tempus quidem sed in perpetuum, facile conversa sunt in ordinarias legationes. Sic quodammodo visæ sunt adnexæ illi sedi episcopali cujus episcopis hoc munus committi solebat.

Eapropter circa sæculum nonum in desuetudinem abierunt et loco ipsorum orti sunt legati nati, illi nempe episcopi qui ratione sedis quam habent munere donantur vicariatus apostolici. Sed hic jurisdictionis

gradus postquam realis factus est, non magnam habebat differentiam a munere metropolitano, vel primatiali, imo isti legati nati vi ordinariæ suæ legationis metropolitanis vel primatibus æquiparati sunt, secundum quod subjectos habebant episcopos tantum, vel ipsos metropolitanos.

Dixi : *vi ordinariæ legationis*, præscindendo ab aliis facultatibus ordinariis quæ speciali mandato illis commissæ fuissent. Quapropter per horum legatorum natorum institutionem non magis providebatur rei ecclesiasticæ quam per ordinariam institutionem metropolitarum vel primatum.

XIX. Sed vel ex eo quod hæc potestas nimis angustis contineretur limitibus, vel ex eo quod hujusmodi legati non bene sua usi sunt auctoritate, adeo ut occasionem dederint querelis inferiorum episcoporum, debuerunt huic defectui per alia succurrere Romani Pontifices , quod fecerunt mittendo extra ordinem nonnullos viros qui speciali mandato majoribusque cum facultatibus pontificiam repræsentarent auctoritatem.

Hæ novæ legationes initio fuerunt extraordinariæ. Cum vero successu temporum felici exitu commendarentur, multiplicatæ sunt, donec in ordinarias transierunt. Qui hoc munus habuerunt ordinariæ legationis, hi sunt *legati missi*, quorum origo aliquo sensu repetenda est jam tum a sæc. V° sub sancto Leone magno. Hi tamen, vi primævæ institutionis, nullam habuerunt jurisdictionem ecclesiasticam. Erant simplices nuntii voluntatis Romanorum Pontificum, ad imperatores, qui nempe ad imperatores responsa pontificum, pontificibus responsa imperatorum referebant : inde nomen *apocrisiarii*, id est, responsales.

Degebant isti apud aulas imperatorum, non alia de

causa nisi ut servarent pacificas relationes inter sacerdotium et imperium. Nullam tamen explicabant in loco suæ legationis jurisdictionem ecclesiasticam; siquidem hac in parte providebatur per institutionem realium dignitatum supraepiscopalium nec non et legatorum natorum. Ideoque vi primævæ suæ institutionis potius comparari poterant ministris seu oratoribus exterorum regnorum quam internis gubernatoribus.

Sæculo vero IX°, sub Alexandro III°, cum temporum illorum circumstantiæ speciales requirebant legationes, nec per simplicem institutionem illorum graduum reali auctoritati supraepiscopali satis provisum esse videretur, cœpit hujusmodi apocrisiariis aliqua extra ordinem jurisdictio supraepiscopalis gerenda committi in loco suæ legationis, nec non alii mitti cœperunt hujus legationis munere insigniti.

Cum hæ legationes quæ extra ordinem fieri cœperant, continerent amplissimas facultates, obscurari ab eis visa est dignitas cæterorum legatorum; deinde multiplicari cœperunt, demum in ordinariam transire jurisdictionem. Unde sæc. XV° legatorum natorum dignitas titulus facta est sine re, et illi successit dignitas personalis legatorum missorum.

Porro in hoc rerum statu, quando hujusmodi novæ legationes fieri cœperunt, visum est quod S. E. R. cardinales (siquidem illis hoc committebatur munus) majori digni essent honore majoribusque locupletarentur facultatibus, quippe quum illi unum corpus conficiant cum Romano Pontifice (ut habetur *cap.* 1° *de officio legati in VI°*), visi sunt proximius ac pressius repræsentari posse personam Pontificis. Eapropter ut ab aliis distinguerentur, dicti sunt *legati a latere* (quasi de latere Pontificis missi) et majoribus præ cæteris

insigniti facultatibus, ita ut possint aliquo modo comparari proconsulibus in R. P., vice-regibus in imperio.

Horum legatorum maximus fuit usus maximaque auctoritas sæc. XI° et sequentibus, siquidem major fuisset hisce in temporibus necessitas, ut ætas illa quæ ignorantiæ sæculis successerat influxum sentiret pontificiæ dignitatis.

Successu vero temporis, ne per hujusmodi amplissimas et ordinarias legationes vel imminuta videri posset ea dignitas primatus quæ solis competit Romanis Pontificibus, vel vilesceret ordinaria episcoporum dignitas, elanguerunt hujusmodi legationes, quæ hodie ingenti solum de causa committuntur. Verumtamen non ideo aboliti sunt hujusmodi legati facti vel missi. Nam licet hoc munus dari non soleat nisi S. E. R. cardinalibus, tamen aliis prælatis ecclesiasticis conceditur qui nomen sumunt *nuntiorum* vel *internuntiorum*, qui id muneris habent tum servandi amicas relationes inter sacerdotium et sæculi principes, tum etiam in loco suæ legationis, Pontificis nomine aliquam possunt exercere jurisdictionem.

XX. Nunc traducenda sunt principia ad determinandam auctoritatem horum diversi nominis legatorum, quorum nempe jurisdictio certis episcopalibus sedibus non inhæret.

Quemadmodum legati ordinarii Romani Pontificis in duas distinguuntur classes (quatenus dicuntur nati vel missi), ita et diversa statui deberent principia ad utriusque gradus jura auctoritatemque determinanda. Verum quum legati nati imitati sunt institutionem archiepiscoporum vel primatuum, ita et simili jure reguntur. Propterea, generatim loquendo, ad illorum auctoritatem determinandam possent applicari plus

minus eadem principia quæ pro determinatione auctoritatis metropolitanæ vel primatialis data sunt. Accedit quod hic auctoritatis gradus hodierno jure fere ex integro exsolverit, ita ut potius honoris quam jurisdictionis titulus remanserit. Propterea satis erit jura determinare lagatorum ordinariorum qui missi dicuntur, quorum nempe dignitas nulli determinatæ sedi adnexa habetur.

1° Legati missi non habent originariam sed simpliciter delegatam jurisdictionem. Nam præterquam quod sint de humana institutione, nomen et ipsum dignitatis quam habent , satis indicat eos non habere aliam auctoritatem nisi illam qua repræsentant Romanum Pontificem. Sunt enim legati apostolici, id est Romani Pontificis. Propterea illorum jurisdictio regitur principio delegatæ auctoritatis, quo nempe tantum possunt quantum ipsis demonstretur fuisse demandatum, vel a jure quidem, vel a litteris specialibus quibus legatio illis impertita est.

2° Auctoritas quæ his committitur legatis est jurisdictionis supraepiscopalis. Mittuntur enim ad instar proconsulum vel præsidum provinciarum, ut in tota provincia supremam repræsentent ecclesiasticam potestatem. Unde illis omnes obnoxii habentur qui in provincia sunt ordinarii.

3° Sed horum legatorum officium nulli sedi vel rei determinatæ adhæret, sicuti archiepiscopalis, primatialis vel patriarchalis dignitas, sed personæ immediate committitur. Unde consideratur tanquam gradus dignitatis personalis, quæ nempe personam sequitur. Quapropter morte personæ de se exspirat.

4° Sed officium hoc est de jure communi, seu generaliter in ipso jure communi reperitur definitum. Ergo auctoritas huic officio respondens non innititur simpli-

citer speciali mandato, sed ipsi adhæret officio. Eapropter sicuti requiritur per ipsius officii collationem, ita per ejusdem amittitur amissionem.

5° Objectum hujus jurisdictionis non est simplex vigilantia super ordinarios provinciæ gubernatores, sed ipsum regimen ordinarium sibi assignatæ provinciæ. Nam legati apostolici habent generalem missionem administrandi, regendi ac gubernandi provinciam sibi assignatam. Unde concipiuntur tanquam ordinarii in provincia, licet non ordinarii nomine proprio, sed nomine mandantis Romani Pontificis. Eapropter, generatim loquendo, tantum possunt legati in provincia quantum episcopi in diœcesi, quantum Romanus Pontifex in Ecclesia.

6° Diximus *generatim loquendo*, nam plures appositi habentur limites huic ordinariæ legatorum potestati, novissimo præsertim jure concilii Tridentini, sess. 24, cap. 20, *de reformatione*, ut videlicet consulatur sive honori primæ sedis, sive ordinariæ singulorum episcoporum jurisdictioni, ne videretur vel nihil esse Romano Pontifici reservatum, vel ex alia parte frustraneum, vel vacuum reddi episcopalem gradum.

7° Hujusmodi limitationes sunt pauciores pro legatis a latere, plures et majores pro nuntiis vel internuntiis apostolicis. Quæ sustinetur differentia etiamsi isti ultimi mittantur cum potestate legati a latere. Namque sub hoc generali mandato non censentur illis commissæ facultates illæ quæ ob specialem difficultatem quam continent, speciatim debuissent significari; scilicet illis commissæ veniunt omnes facultates quæ sunt æquales vel minores illis quæ expressæ habentur in litteris hac de re datis, non autem illæ quæ, prouti majoris momenti, speciali nota dignæ fuissent.

Satis diximus de gradibus supraepiscopalis jurisdic-

tionis ordinariæ vel extraordinariæ. Nunc de gradibus quasi episcopalis dignitatis, qui cum bifarie distinguantur, utpote qui aliquando rei, aliquando personæ committantur, distinctis paragraphis sunt tractandi.

III. De gradibus quasi episcopalibus sedi annexis, seu de abbatibus.

XXI. Quamvis Ecclesia super episcopos fundata ab episcopis ordinaria administratione gubernetur, tamen accidit aliquando ut aliqua Ecclesia particularis ita sit constituta ut loco episcopi vel sedis episcopalis alium habeat prælatum vel sedem alterius prælati, qui licet illius sedis non sit episcopus, imo nec episcopali ordine insignitus, tamen quasi episcopus eam administrat seu quasi episcopalem exercet jurisdictionem.

Hi prælati dicti sunt *abbates* (latine patres), quorum origo ex fastis monachorum profecta videtur. Exstructis namque procul ab urbibus cœnobiis seu monasteriis, facile potuit evenire ut quædam christiana plebs circa mœnia monasterii excreverit, eorum nempe qui operibus monasterio præstandis, vel in agrorum cultura, vel in cæteris essent addicti. Hæc plebs christiana facile habuit ecclesiam monachorum tanquam parœciam suam, vel monasterii præfectos (id est abbates) tanquam suos spirituales patres, tanquam parochos, a quibus spiritualiter regerentur.

Sed postquam monasteria et superiores eorum plures obtinuerunt exceptiones ab auctoritate episcopali, nihil facilius contigit quam ut hæc parœcia, independens reddita ab auctoritate episcopi, fieret quasi diœcesis, vel hæc auctoritas quæ parochialis erat quousque episcopo subjecta manebat, quasi epis-

copalis evaserit quando ab episcopo independens facta est.

Hinc videtur priores abbates, habentes jurisdictionem quasi episcopalem, regulares fuisse; sed successu temporum vel quia nonnullæ abbatiæ, propriæ monachorum, factæ sunt propriæ clericorum sæcularium, vel quia nonnullæ abbatiæ pro clericis sæcularibus ad instar monasticarum illarum fuerunt institutæ, factum est ut hodie abbates regulares a sæcularibus abbatibus distinguantur.

XXII. Sed omnium istorum abbatum, omniumque abbatiarum non una est species, et quidem considerata in ordine ad quantitatem jurisdictionis. Nam alii sunt abbates qui habent quasi diœcesim omnino distinctam a quavis diœcesi episcopali, quorum nempe abbatia est extra quamlibet diœcesim. Hi dicuntur *abbates nullius diœcesis*, et maximum habent in hac categoria gradum, ac præ cæteris omnibus jurisdictioni accedunt episcopali.

Sed alii sunt abbates qui aliquam regunt ecclesiam intra diœcesim alicujus episcopi constitutam, quod dupliciter contingit : nam aliquando hæc ecclesia talis est ut habeat clerum et populum sibi proprium : inde fit ut constituat quasi diœcesim intra diœcesim, id est, non habeat quidem territorium separatum a territorio episcopali, sed tantummodo clerum sibi proprium. Hujusmodi abbatiæ dicuntur *quasi nullius*, et obtinent gradum medium in hac categoria.

Sed alii sunt abbates qui habent ecclesiam intra diœcesim alicujus episcopi constitutam, quorum tamen auctoritas non extenditur, nisi ad clericos vel monachos qui illi ecclesiæ vel monasterio sunt addicti; sed non habent christianam plebem quam gubernent, eorumque auctoritas intra parietes ecclesiæ vel mo-

nasterii continetur. Hi obtinent infimum gradum in hac categoria, et dicuntur abbates nec proprie nec improprie *nullius*. Sic determinata notione hujus gradus, determinatis quoque speciebus ejusdem, quædam proponenda sunt principia ad ipsorum jura definienda.

XXIII. 1° Abbatum jurisdictio originaria non est, sed delegata. Sunt enim humanæ institutionis. Hæc autem delegata auctoritas non potest esse ab inferiori seu diœcesano episcopatu derivata, quasi constitueret quemdam gradum vicariatus in diœcesi. Est enim quidam gradus auctoritatis independentis ab auctoritate episcopi diœcesani, et potius episcopi potestati æquiparatur quin illi subalternata habeatur. Ergo non restat nisi ut eam dicamus a supremo ecclesiæ auctoritatis gradu derivatam esse, in suaque origine et natura inspectam non esse nisi quemdam vicariatum supremæ hujus auctoritatis, quæ sicuti aliis auctoritatem impertitur supraepiscopalem, ita aliis pro Ecclesiæ opportunitate quasi episcopalem concredidit.

2° Hæc jurisdictio instituta est ad instar jurisdictionis diœcesanæ; unde ordinaria est, realis et pastoralis. Ideo in genere statui potest hæc proportio, quod videlicet abbas est in abbatia ut episcopus in diœcesi. Imo ut hic gradus auctoritatis magis etiam accederet gradui dignitatis episcopalis, inductus est quidam ritus benedictionis abbatum ad instar consecrationis episcopalis, ut nempe sicuti episcopi jurisdictionem imitaretur, ita et ordinem. Unde capaces fiunt administrandi plura sacramentalia quæ propria sunt episcopalis jurisdictionis. Quod præsertim de abbatibus regularibus intelligendum est.

3° Sed in conflictu inter auctoritatem abbatis et auctoritatem episcopi intra cujus diœceseos fines (si sermo


sit de abbate improprie nullius) vel prope cujus diœcesim (si de abbate proprie nullius) abbatia sita est, præsumptio semper stat pro episcopo et abbati contraria habetur. Nam pugnat hìc privilegium cum lege, exceptio cum regula, id quod extraordinarium est cum illo quod est ordinarium. Nunquam autem censendum est legi fuisse derogatum nisi aperte de hac exceptione constet. Unde fit quod auctoritati episcopi vel diœcesani vel finitimi respective ea omnia reserventur quæ aperte non demonstrantur abbati competere. Pro episcopo fundatur præsumptio in jure communi. Abbas vero tantum potest in sua jurisdictione proficere quantum juris habet a præscriptione vel a privilegio contra episcopum vel diœcesanum vel finitimum respective. Ille autem dicitur finitimus cujus ecclesia cathedralis proximior est præ cæteris ecclesiæ abbatiali, computata distantia ex viis ordinariis.

Satis pro harum institutionum modulo de hac jurisdictione quasi episcopali quæ alicui sedi adnexa est. Reliqua quæ de hac re disputari possent (v. g. quoad conflictus inter episcopos et abbates) pertinent ad superiorem canonum disciplinam.

IV. De altera quasi episcopali jurisdictione, quæ videlicet nulli sedi adhæret, seu de vicariis apostolicis.

XXIV. Quemadmodum jurisdictio supraepiscopalis aliquando sedibus adhæret, aliquando personis directe committitur, ita et jurisdictio quasi episcopalis. Quasi sedibus adhærere videtur dignitas abbatum; personis autem directe committitur jurisdictio vicariorum apostolicorum, de quibus nunc.

Sed hìc nomine vicarii apostolici non intelligimus illum ecclesiasticæ auctoritatis gradum qui originem dedit legatis natis. Nam illi vicarii apostolici habebant



jurisdictionem episcopis superiorem. Sed intelligimus hoc nomine simplicem gradum auctoritatis quasi episcopalis.

Dicuntur hoc sensu *vicarii apostolici* viri ecclesiastici qui plerumque episcopali ordine insigniti, a Romano Pontifice ad aliquam ecclesiam vel constituendam vel constitutam mittuntur, ut interim quasi episcopi eam regant. Duplex est, ut ex dictis patet, horum vicariorum species pro loco vicariatus quem sortiuntur. Nonnulli enim mittuntur ad loca infidelium ubi diœceses nondum distinctæ habentur, nec instituta hierarchia jurisdictionis ecclesiasticæ. Propterea mittuntur potius ad constituendam ecclesiam quam ad gubernium illius quæ jam constituta est.

Alii vero mittuntur ad aliquam ecclesiam quæ jam erecta est in diœcesim vel abbatiam, sed suo viduata est pastore, vel quasi viduata, siquidem illum habet episcopum qui vel ob impotentiam, vel ob culpam, vel ad tempus vel perpetuo remotus est a suæ diœceseos administratione; qui propterea stricto sensu *administratores apostolici* vocari solent. Sic determinata notione, datisque speciebus hujus gradus auctoritatis, aliqua statuenda sunt principia ad hujusmodi jurisdictionem determinandam.

XXV. 1° Horum etiam jurisdictio delegata est. Sunt enim vicarii ; non autem vicarii episcopi stricto sensu, sed vicarii Romani Pontificis. Non vicarii episcopi stricto sensu : nam lato quidem sensu illius vicarii dici possunt, cujus vices gerunt, qui nempe vel non habetur, vel potius non est administrandæ suæ diœceseos capax ; non autem stricto sensu , quatenus illius nomine episcopi tanquam mandantis jus dicant , sed nomine Romani Pontificis cujus sunt immediate vicarii.

Qua de causa distinguuntur ab *episcopis coadjutori-*

bus. Nam licet quoad officium tum vicarius apostolicus, tum episcopus coadjutor idem præstet, conceptu tamen juris in eo differunt quod vicarius apostolicus Romani Pontificis nomine et independenter ab episcopo suam exerceat auctoritatem; episcopus autem coadjutor non sit nisi vicarius generalis episcopi ordine episcopali insignitus, qui licet a Romano Pontifice deputetur, tamen non Romanum Pontificem, sed episcopum coadjuvat et repræsentat in diœcesi. Quapropter vicarii apostolici delegatam habent jurisdictionem, a Romano nempe Pontifice, cujus auctoritate constituuntur.

2° Mittuntur autem a Romano Pontifice ut locum sui vicariatus quasi episcopi gubernent. Ergo generatim loquendo id potest vicarius apostolicus in ecclesia sui vicariatus quod episcopus in sua diœcesi ; sed generatim loquendo tantum, nam illi vicarii apostolici qui mittuntur ad ecclesias nascentes seu ad loca infidelium uberiores in mandatis habent facultates, quæ nempe necessariæ sunt vel opportunæ ad hanc informandam christianitatem. Minores autem dantur facultates illis qui ad ecclesiam jam constitutam deputantur tanquam administratores apostolici. Hi enim potius vicariis capitularibus quam episcopis comparantur, vicariis nempe illis a capitulo electis, qui tanquam episcopi interimi et precarii vacantem regunt ecclesiam.

3° Licet hic jurisdictionis gradus assimiletur auctoritati seu jurisdictioni episcopali , vere tamen et proprie non dicitur auctoritas episcopalis, siquidem vicarius apostolicus non est vere et proprie illius sui vicariatus episcopus ; nec ideo acquirit titulum sui episcopatus ab ecclesia sui vicariatus ; nec habet officium perpetuum, sed mere precarium ; nec dicit jus

nomine proprio tanquam episcopus, sed simpliciter nomine mandantis.

XXVI. Satis de hac categoria graduum jurisdictionis qui humanam et ecclesiasticam habent institutionem, qui nempe possunt comprehendi sub generali appellatione vicariorum Summi Pontificis. Restat altera categoria graduum qui pariter de humana sunt institutione, pariterque non integris clericalibus conferuntur collegiis, sed distinctis clericorum personis; tamen non gerunt vicariatum Summi Pontificis, sed simplicem episcopi vicariatum pro regimine diœceseos.

De gradibus qui episcopi vicariatum gerunt.

Vicarii episcopi diœcesani bifariam distinguuntur: alii enim generales dicuntur, alii vero particulares dici possunt. Quapropter hanc tractationem in duas partes subdividamus oportet, quarum prima erit de vicariis generalibus, altera de particularibus.

§ I. De vicariis generalibus.

XXVII. Jamdiu a primæva Ecclesiæ fundatione, apostoli, ne a Verbi divini prædicatione, a sacramentisque ministrandis distraherentur, ut melius temporali Ecclesiæ administrationi consulerent, proposuerunt electionem diaconorum, quos constituerunt super hoc opus.

Ad instar apostolicæ hujus œconomiæ factum est ut episcopi, relicta presbyteris sacramentorum administratione, quorum erant ministri ordinarii, diaconos maluerunt habere tanquam vicarios suos, tanquam coadjutores quibus externæ ecclesiarum rerum administrationi consuleretur, quibus potius quam presbyteris jurisdictionem suam hac in re delegarent.

Ne autem ex diaconorum multitudine confusio ori-

retur in ecclesiastica administratione, unus inter eos electus est omnibusque præfectus, *archidiaconus* nempe, qui pro munere suo esset quodammodo generalis episcopi vicarius.

Quum autem hoc vicariatus munus archidiaconali titulo perpetuo esset adnexus, inde factum est ut archidiaconi habiti sunt tanquam *vicarii generales nati* episcoporum.

Sed intumuerunt archidiaconi de tanta dignitate, nec tantum cum presbyteris de præeminentia contendere, sed etiam cum episcopis de auctoritate sua dimicare visi sunt. Unde quum respuerent principium illud unde proveniebat tota auctoritas officio quod gerebant adnexa, quasi recusato lumine episcopali unde lux et dignitas in illos refundebatur, hic ordo collabi cœpit, et primo quidem in Oriente ante decimum sæculum, postea in Occidente, sæculo circiter duodecimo; postea remansit quidem titulus nomenque archidiaconi in cathedralibus ecclesiis; sed jurisdictio huic competens titulo imminuta omninoque collapsa est.

XXVIII. Evacuata sic archidiaconorum potestate, non inde tamen cessarunt vicarii episcoporum. Concilium namque Lateranense IV^{um} (1215), ut huic provideret defectui, admonere cœpit episcopos, ut si ad ferenda diœceseos onera per se non sufficerent, coadjutores e clericorum cœtu eligerent, qui ad hujusmodi munia obeunda idonei perhiberentur.

Inde obtinere cœpit in ecclesiastica disciplina, ut antiquo illo archidiaconali officio substitutum fuerit munus cujusdam vicarii generalis qui, per oppositionem ad archidiaconum, quem vicarium generalem natum diximus, *vicarius generalis factus* dici posset.

Sed licet ecclesiastica disciplina in hoc conveniat

principio, differunt tamen ecclesiarum mores in hujus principii applicatione.

Nam quum non fuerit a jure definitum quot episcopus habere possit vel debeat vicarios generales, sed id a concilio Lateranense remissum fuerit arbitrio ac prudentiæ episcoporum, qui tot possint hujusmodi vicarios eligere quot opportunius esse judicaverint, factum est ut nonnullæ ecclesiæ (in Italia præsertim) unum tantum haberent, aliæ vero plures; quod dupliciter contingere potest :

Aliqui enim potiuntur auctoritate tanquam comprincipaliter; aliqui autem limitantur officio, vel in ordine ad territorium, vel in ordine ad quantitatem auctoritatis illis commissæ, vel in ordine ad attributa hujusce auctoritatis. Quo in casu alteri ex vicariis generalibus *voluntaria* competit jurisdictio, alteri *litigiosa*. Primus dicitur præcipue *vicarius generalis*, alter *officialis*.

XXIX. Sed, non obstantibus diversis moribus diæceseon, in applicatione tamen in unum convenit ecclesiastica disciplina, ut nempe habeant episcopi vicarium qui generaliter in suo officio repræsentat episcopalem jurisdictionem; et cum hic gradus auctoritatis sit a jure determinatus, inde possumus quædam statuere principia ad hujus gradus auctoritatem exprimendam.

1° Hæc jurisdictio delegata est. Est enim hic vicarius, qui propterea jurisdictionem quam habet, a suo mandante recipit, cujus vices gerit.

2° Hæc item jurisdictio est ordinaria. Nam de jure competit officio. Huic autem officio competunt certa quædam jura facultatesque. Eo ipso quod episcopus aliquem deputaverit ad hujusmodi officium, censetur illi mandasse sine specialis missionis necessitate omnia jura quæ dicto officio competunt et quæ illi accedere possunt, nisi sint expresse reservata.

3° Hinc officio, generatim loquendo, adnexum est exercitium totius jurisdictionis episcopalis. Quapropter hæc ipsa jurisdictio et jurisdictio vicarii generalis non distinguuntur, generatim semper loquendo, nisi in quantum quod episcopus habet nomine proprio, vicarius autem nomine episcopi, episcopus originariam, vicarius delegatam.

Unde consequens est quod tribunal episcopi et tribunal vicarii generalis non distinguuntur in jure, quia vicarius ipsam repræsentat personam episcopi. Jurisdictio utriusque identificatur. Unde si suspendatur vel amittatur jurisdictio episcopi, suspendi vel amitti necesse est jurisdictio vicarii generalis. Unde mortuo episcopo, cessat omnino jurisdictio vicarii generalis.

4° Sed licet generaliter vicarius repræsentet universam episcopi jurisdictionem, eam tamen repræsentat limitato modo, quatenus nonnulla episcopalia jura in specie non censentur huic muneri mandata sine speciali delegatione. Sunt autem hæc jura plura, graviora et eminentiora quæ habet episcopus in diœcesi, quæ ut transfundat vicario generali, speciale requiritur mandatum :

Quod sic sustinetur, ut etiamsi episcopus in litteris constitutionis sui vicarii protestatus sit illi mandasse omnes illas facultates quæ mandatum speciale requirunt, sub hac tamen clausula non intelliguntur nisi illæ facultates quæ sunt æquales vel minores expressis, nunquam autem quæ majores. Idem verificatur principium, ut superius dictum est, in officio legati : sub generali mandato non veniunt illa quæ speciali indigent mentione.

5° Hoc officium non est perpetuum, sed omnino temporaneum, ad placitum episcopi, qui sicuti potest vicarium eligere, vel non, unum vel plures, ita potest

illius etiam imminuere auctoritatem, imo eam tollere et in alium transferre, quod tamen sine aliqua rationabili causa licite non fit.

De vicario Urbis.

XXX. Illud quod de cæteris dicitur diœcesibus, de romana quoque diœcesi intelligi debet, ubi Romanus Pontifex in quantum est Romæ episcopus, suum habet vicarium generalem, cui applicanda veniunt omnia quæ dicta sunt de vicariis generalibus episcoporum. Duæ tamen sunt speciales differentiæ :

1ª Cum Romanus Pontifex, negotiis distentus universalis Ecclesiæ, non possit eam gerere curam episcopatus romani, sicut episcopi diœcesani, inde fit quod cardinalis, in Urbe vicarius, est quasi episcopus et ordinarius Urbis, seu, licet vicario nomine, ea omnia gerit, sive quoad ordinem, sive quoad jurisdictionem quæ episcopus in diœcesi. Unde habet et quemdam prælatum *vices gerentem*, sic dictum tanquam suum vicarium generalem.

Solum ab hac generali cardinalis in Urbe vicarii potestate, duæ excipiuntur facultates : nempe visitatio apostolica pro qua Romæ instituta est specialis S. R. E. cardinalium congregatio, et collatio beneficiorum, quæ fit in dataria apostolica. In aliis, licet non Romæ episcopus, omnimodam tamen episcopalem jurisdictionem exercet.

2ª Vicarius generalis, defuncto episcopo, omnem amittit auctoritatem, siquidem episcopi morte, ejus jurisdictio devolvitur ad capitulum ecclesiæ cathedralis, quod per vicarium capitularem diœcesanæ providet administrationi. Sed Romæ, mortuo Pontifice, diversa obtinet disciplina.

Quum enim collegium cardinalium, in quod, in-

specta juris analogia, episcopalis devolveretur jurisdictio supra romanam diœcesim, aliis distrahi haud deceat negotiis, ut nempe totum incumbat novo eligendo Pontifici, factum est quod jurisdictio vicarii Urbis prorogetur, etiam sede romana vacante : sicque vicarius vices quodammodo gerit vicarii capitularis, quousque novus Pontifex eligatur.

§ II. De vicariis particularibus episcoporum.

XXXI. Cum finis in quem directa est ecclesiastica jurisdictio sit finis ultimus hominum, æterna nempe beatitudo, qui finis ipsius proprius est societatis ecclesiasticæ, ut etiam singulorum de ipsa societate proprius habeatur, inde est quod ecclesiastica jurisdictio (ut jam dictum est) tum de *politica*, tum de *paterna* participat auctoritate.

De illa nempe in quantum publico imperio, externam totius societatis œconomiam gubernat, seu respicit hujus assecutionem in commune. De ista vero in quantum paterna sollicitudine et charitate singulorum procurat christianorum salutem, seu respicit hujus finis assecutionem in individuo.

Unde Ecclesia sub duplici respectu potest considerari : 1° tanquam *respublica* quæ sub episcopis suis tanquam principibus regitur; 2° tanquam *familia* quæ ab eisdem tanquam patribus gubernatur; seu, in sensu composito, considerari potest tanquam grex cujus ad pastorem spectat sollicitudo. Dum enim oves pascit in communi, singularum curam haud respuere censetur.

Hæc porro duplex repræsentatio jurisdictionis ecclesiasticæ quæ, pro natura potestatis sacræ, inseparabilis habetur in iis quos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, visa est quodammodo separari posse in particularibus eorum vicariis, ut

nempe alii episcopum qua principem, alii qua patrem repræsentarent; et quos paterna charitas in officio continere non valeret, principis justitia coerceret. Sic aliqua externæ episcopalis jurisdictionis chorepiscopis collata est antiquitus, quæ hodie vicariis foraneis gerendam committitur, ut nempe in oppidis et in pagis principatum episcopi aliquo modo repræsentarent. Paterna autem auctoritas delegata est parochis, qui curæ et saluti animarum consulerent. Duplex igitur erit hæc tractatio in qua, 1° de chorepiscopis et vicariis foraneis, postremo de parochis agemus.

I. De chorepiscopis et vicariis foraneis.

Cum diœceses generaliter loquendo in plura vicina oppida vel suburbia sese protendunt, non potuerunt episcopi in ecclesiis cathedralibus residentes, per se immediate consulere omnibus negotiis diœcesanis, præsertim iis quæ in locis remotioribus eveniebant. Unde prototypum sequuti Ecclesiæ universalis, cujus pastor supremus legatos vel vicarios suos mittit, ut per eos negotiis consulat quibus præsentia sua providere nequit, ipsi quoque in ecclesiis ruralibus quosdam constituerunt vicarios suos qui chorepiscopi dicti sunt (απο του χωρου), quasi episcopi rurales.

Decertant hìc canonistæ in determinando ordine competenti huic gradui auctoritatis. Nam quum vidissent aliquando illis concedi quasdam functiones ordinis episcopalis, aliquibus prohiberi, dixerunt nonnulli episcopos eos fuisse, alii simplices presbyteros. Nec defuerunt qui medium ordinem inter utrumque confixerunt. Sed lis composita esse videtur a Benedicto XIV, de syn. diœces. l. 3, cap. 3, qui constituit ordinem huic gradui competentem ordinario fuisse presbyte-

ratum, extra ordinem vero fuisse aliquem episcopatum, quatenus nonnullis episcopis, vel injuria a suis sedibus expulsis, vel ab eisdem legitime remotis, ne otiosi remanerent, aliquando assignata est ecclesiæ cujusdam ruralis administratio, dependenter ab episcopo diœcesano.

Hanc œconomiam sequi visa est Nicœna synodus in favorem quorumdam episcoporum qui a schismate Novatianorum vel Meletianorum redierant. Inde dicit idem Pontifex aliquando illis concessas fuisse functiones ordinis episcopalis, si quis fuisset episcopus, aliquando vero prohibitas fuisse, si episcopus non fuisset.

Sed hi chorepiscopi, quum haberent facultatem conferendi ordines minores, imo et majores ac sacros, si fuissent episcopi, cœperunt intumescere, et episcopis non tam subdi quam æquiparari.

Quum vero nec conciliorum canones,nec pontificum decreta hanc compescere valerent audaciam, sæculo VIII° et IX°, hic gradus auctoritatis minui cœpit, donec IX° sæculo, omnino extinctus est. Non tamen cessarunt vicarii rurales episcoporum, sed hic gradus auctoritatis adnecti cœpit quibusdam dignitatibus vel beneficiis in rure constitutis, v. g. archipresbyteratibus, plebanis, etc.

XXXII. Sed dein selectis ab episcopo viris committi cœpit, analoga nempe ratione illius quod eveniebat in constituendis vicariis generalibus. Hi rurales episcoporum vicarii, *foranei* dicti sunt, qui in singulis oppidis vel suburbiis diœcesis aliquam repræsentant episcopi jurisdictionem in eo quod spectat ad externam Ecclesiæ œcononiam.

Sic definita hujus gradus notione, aliqua principia ad ejus determinandam auctoritatem ponenda sunt :

1° Auctoritas vicariorum foraneorum omnino delegata habenda est, et quasi ad peculiaria.

2° Ordinaria dici nequit, nisi latissimo quodam sensu, quatenus solet dari, non est extra ordinem, sed de ordine consueto regiminis diœcesani. Stricto autem sensu non sic; nam in jure non agnita habetur, nec illi adhæret aliqua jurisdictio; sed tota pendet ex mandato episcopali, ut tantum possit quantum episcopus illi dedit; nullam vero habeat jurisdictionem ex officio, ita ut absit illa præsumptio : episcopum illa tantum sibi reservasse de quibus mentionem fecit, sicut in vicariorum generalium constitutione.

3° Solet dari major auctoritas in amplioribus diœcesibus (ut extra Italiam verificatur), minor autem in minoribus (ut in Italia); ita nempe ut excepta quadam potestate judiciali quoad causas criminales leviorisque momenti, cæterum habeat potius munus inspiciendi mores cleri ac populi, deferendi eorum vitia episcopo vel exequendi decreta episcopalia, quam conficiendi processus criminales, etc., quæ omnia stricto sensu (excepta tamen quæ de judiciali sunt potestate) potius œconomicæ potestatis quam veræ jurisdictionis nomen habere videntur.

4° Vicarii foranei non sustinent generalem episcopi repræsentationem, sicut vicarii generales. Propterea gradus auctoritatis quem ille habet omnino diversus habetur ab illo quod habet episcopus vel ejus vicarius generalis. Alter enim superior, alter inferior est. Eapropter quum foranei ac generalis omnino differat persona juridica, a tribunali inferioris ad tribunal superioris datur appellatio.

Accedit etiam alia ratio petita ex locorum distantia. Quippe quum vicarius generalis et episcopus in eadem degent civitate, foraneus autem longe ab ea

distare possit, adest ratio admittendi hanc appellationem in uno casu, sicut et eam tollendi in altero.

Absolutis quæ ad vicarios foraneos spectant, dicendum est nunc de parochis.

II. De parochis.

XXXIII. Paternum episcopi officium, quod aliter dicitur cura animarum, consistit in iis præstandis officiis in ordine spirituali quæ præstat pater-familias in ordine domestico et naturali. Sed officium patris in familia est filios generare, genitos alere, conservare, instituere, moderare. Ergo ad similia objecta sese refert in ordine ecclesiastico hæc cura animarum, nempe ut per baptisma filios generet Christo et Ecclesiæ, per cætera sacramenta hanc vitam spiritualem per baptisma infusam conservet, reparetque, ac perficiat; per Verbi Dei prædicationem, prolem hanc bonis moribus instituat; per paternas correctiones filios a vitiis revocet, ad virtutes informet; ut his omnibus mediis finis æternæ salutis in individuo obtineatur.

Quum autem jure divino episcopis constituti sint presbyteri coadjutores, in iis præsertim quæ spectant ad Verbi Dei prædicationem et sacramentorum administrationem, nihil magis fuit naturale quam ut episcopi hanc paternam committerent auctoritatem presbyteris, et ita ipsorum adjutorio levarentur. Sed variis modis hoc obtinuit pro diversa Ecclesiæ disciplina.

Nam primis Ecclesiæ sæculis, quum una in singulis diœcesibus erat ædes sacra, ecclesia nempe cathedralis, hanc unam tantum habebat episcopus in qua agebantur sacri conventus, et sacramenta administrabantur. Omnes in civitate cum episcopo presbyteri hanc animarum curam exercebant, ordinario quidem penes ecclesiam cathedralem, cui erant et ipsi pres-

byteri incardinati; extra ordinem vero in oppidis, in vicis diœcesanis, si quid illuc ad solatium christianorum illic degentium ab episcopo missi essent. Sed adeo erat extraordinarium hujusmodi officium quod extra cathedralem fiebat ecclesiam, ut eo expleto, quasi completa missione, ad cathedralem reverterentur; unde a Græcis περιοδευται, id est, circumvagantes dicti sunt hi presbyteri.

Sed circa finem IV[i] sæculi, vel initium quinti, magis magisque aucto christianorum numero, visa est amplius non sufficere una illa ecclesia cathedralis; incommodum quippe nimis erat, vel quod christiani a civitate episcopali dissiti ad illam convenire cogerentur, ut sacramenta susciperent, vel quod episcopus presbyteros ad hæc loca dissita deputare deberet.

Cum igitur reddita Ecclesiæ pax libere eam sineret providere suorum utilitati, erigi cœperunt ædes sacræ in oppidis et pagis diœcesanis, illisque intitulari, seu in perpetuum addici presbyteri, ut circumstantium plebium ordinariam spiritualem curam sustinerent. Hi dicti sunt aliquando *cardinales*, quia incardinati erant his ecclesiis quarum servitio addicebantur; aliquando *vicarii presbyteri,* seu *vicani* vel *forastici;* aliquando *plebani* (a plebe quam regebant), vel *rectores;* aliquando etiam *archipresbyteri,* relatione habita cum aliis presbyteris inferioribus, vel sacerdotes proprii talis ecclesiæ.

Posterioribus vero temporibus magis invaluit vox illa qua hodiedum designantur, nempe *parochi;* item ædes sacra ipsa *parochialis ecclesia* dicta est; territoriumque illis præfinitum parœcia vel *parochia.*

XXXIV. Hæc disciplina serius obtinuit in ipsa urbe episcopali; nempe pro fidelium utilitate, præter ecclesiam cathedralem seu matricem, quæ erat titulus

episcopalis, extrui cœperunt intra mœnia civitatis quidam tituli secundarii, quibus præficerent presbyteri, qui sacramenta ministrarent, Deique Verbum prædicarent, uno verbo, curam spiritualem sustinerent circumstantium animarum.

Sic ipsa civitas episcopalis recepit parochias civitatenses; civitas nempe episcopalis distincta est in tot partes quot tituli secundarii, ita ut unaquæque pars diœcesis haberet presbyterum proprium, a quo specialiter regeretur. Quod autem in cæteris diœcesibus, in Romana etiam obtinuit diœcesi, sed paulo diversa disciplina.

Namque Romæ jamdiu a primæva antiquitate, præter titulum episcopalem, seu ecclesiam cathedralem, nempe ædem sacram sanctissimi Salvatoris apud Lateranum, erecti sunt plures tituli inferiores, tum presbyterales, tum diaconales.

Tituli *presbyterales* erant ecclesiæ quibus præficiebatur presbyter ut sacris præesset conventibus, cæteraque, quæ ad curam spectabant animarum, gereret.

Tituli vero *diaconales*, seu *diaconiæ,* non erant nisi domus hospitales, cum adjacentibus oratoriis, quibus præficiebantur diaconi, ut peculium ecclesiasticum in pauperes et infirmos erogarent.

Quapropter quodammodo urbs divisa est in tot parœcias quot fuerunt tituli presbyterales, ita in tot regiones quot diaconiæ. Illis commissa erat spiritualis cura animarum; ipsis vero temporalis administratio. Hujusmodi presbyteri vel diaconi sic instituti dicti sunt *cardinales,* quorum officium, si titulus erat presbyteralis, non excedebat, generatim loquendo, officium parochiale; si diaconalis, non excedebat potestatem œconomicam.

Successu vero temporum, a sæculo circiter XII°,

postquam in cœtu cardinalium romanæ Ecclesiæ adnumerati sunt etiam episcopi quidam vicinarum urbium, dicti proinde episcopi suburbicarii, et cæterorum cardinalium, presbyterorum nempe et diaconorum, dignitas sublimata est, cum in eodem censu essent tanquam membra unius collegii cum episcopis, et illorum dignitas visa est quasi episcopalis.

Propterea hujusmodi tituli erecti sunt ad quasi diœcesim : cardinalis nempe in titulo suo habitus est quasi episcopus in diœcesi, romanaque diœcesis in tot quasi diœceses visa est distingui quot habebantur cardinalitii tituli, eorumque titulares quasi ordinarii habiti, episcopalique jurisdictione insigniti.

Sed postquam, institutis parochiis, secundarii cardinalium tituli suam plebem amiserunt, populum videlicet sibi addictum, et jamdiu a sæculo XV° institutum est officium cardinalis vicarii, quasi esset ordinarius urbis, dignitas hæc vel jurisdictio quasi episcopalis S. R. E. cardinalium in titulis suis, quoad honoris prærogativas mansit integra; imo plus quam episcopalis habita est; sed quoad jurisdictionem ipsam, adeo deminuta est, ut hodie, præsertim post Constitutionem Innocentii XII (*Romanus Pontifex*) anni 1692, reducatur ad quamdam potestatem œconomicam et domesticam exercendam in forma extrajudiciali in iis quæ respiciunt res et personas Ecclesiæ, si qui illi addicti sint clerici sæculares. Nam si regulares sint et exempti, ut dicit card. de Luca, jurisdictio cardinalis titularis limitata est ad simplicem Ecclesiæ materialem inspectionem, etc.....

Sic quod spectat ad jurisdictionem quasi episcopalem, ea exercetur in tota urbe a cardinali vicario; quod autem pertinet ad curam parochialem, ea singulis parochis demandatur.

XXXV. Absolutis quæ spectant ad historiam officii parochialis, exponenda sunt principia ad parochorum nominationem et auctoritatem determinandam.

1° Parochorum auctoritas est delegata. Officium enim parochiale est pars connaturalis officii pastoralis. Unde episcopus in singulis diœcesibus, vi officii sui, est parochus natus universæ familiæ diœcesanæ. Parochi autem, qua tales, non habentur nisi in quantum hanc paternam repræsentant episcopi auctoritatem, directam ad singulorum in sua parœcia salutem procurandam. Est igitur parochorum jurisdictio ab episcopo delegata.

2°.Hæc autem jurisdictio est ordinaria in quantum adhæret alicui officio, stabiliter in jure constituto. Unde adquiritur, non ex mandato episcopali, sed destinatione vel missione ad officium ; videlicet adquiritur per ipsius officii adquisitionem, sicut et per ejusdem amissionem amittitur.

3° Hæc jurisdictio est ordinaria etiam alio sensu, quatenus nempe dirigitur ad ordinarium sui exercitium; videlicet non est auctoritas interponenda in casibus extraordinariis , sed sustinet ordinariam directionem suæ parœciæ in finem supernaturalem. Verum

4° Objectum hujus ordinariæ potestatis non est publicum regimen, sed simplex regimen domesticum. Parœcia enim non est instituta ad instar reipublicæ, cujus parochus sit tanquam princeps, sed ad instar meræ familiæ cujus sit pater. Eapropter parochus nihil potest in parœcia exercere quod sapiat politicæ majestatis. Unde nec leges ferre, nec ex auctoritate judicare, nec publicas pœnas imponere ; sed solum ea potest exercere quæ sub respectu ecclesiastico paternam imitantur auctoritatem in regimine familiæ.

Hæc autem sunt : 1° baptizare; nam baptismus locum tenet generationis in respectu spirituali et ecclesiastico; 2° omnia sacramenta vel sacramentalia conferre quæ non excedunt characterem presbyteralem. His sacramentis et sacramentalibus alitur, reparatur, perficitur, conservatur usque ad mortem ea vita spiritualis quæ per baptismum nata est. Unde parochus vi officii sui, sicuti familiam Christi per baptismum generat, ita hanc christianam familiæ suæ vitam regit ac moderatur. Imo nec morte corporis suorum parochianorum, paternum hocce parochi expirat officium; nam cum vita spiritualis morte corporis non extinguatur, parochus curam suam protendit etiam ad servanda, custodiendaque suorum corpora, quæ novit in mundi fine ad gloriam æternam resurrectura.—3° Ex eodem principio sequitur parochi esse ut parochianos suos doceat, instituat et corrigat; filiorum enim bona institutio paternum est officium.

5° Hæc parochorum auctoritas, quæ aliquando exclusive ipsis competebat, per recentiora privilegia in favorem tum regularium, tum etiam sæcularium, magna ex parte deminuta est. Nam fideles non tantum in parœcia, sed etiam in aliis ecclesiis plura possunt sacramenta, ipsamque christianam sepulturam obtinere. Unde ex hac parte parochialis imminuta est auctoritas.

Sed viget, generatim loquendo, quatenus exceptis his privilegiis particularibus, spiritualis cura singulorum christianorum respectivo parocho omnino commissa habetur.

XXXVI. *De vicariis parochorum.* — Ad præsentem tractationis primæ partem absolvendam, quæ nempe est de hierarchia ecclesiastica in singulis clericorum personis considerata, dicendum est de vicariis parochorum.

Hoc nomine designantur illi qui vices gerunt parochorum, qui possunt ad duas classes revocari. Alii nempe sunt *œconomi* parochi, qui supplent parochorum defectui, et non tantum vices gerunt alicujus parochi, quantum, deficiente parocho (per mortem vel remotionem), pro illo animarum curam gerunt. Alii vero non supplent defectum parochi, sed illum coadjuvant qui vel physice vel moraliter impos est, quin possit parochiam suam administrare.

Hi autem vel sunt meri collaboratores seu mandatarii parochorum, qui tantum possunt quantum a parochis specialiter illis commissum est, vel ordinarium alicujus ecclesiæ parochialis vicariatum sustinent. Quæ secunda hypothesis sæpe in jure contingere valet : Si cura parochialis adnexa sit alicui ecclesiæ cui præficitur aliquod collegium clericorum vel monachorum, tunc cum cura parochialis non possit sine confusione collegiatim exerceri, aliquis debet a collegio deputari qui actu sustineat curam parochialem. Unde hic non est simplex coadjutor alterius parochi qui actu retineat curam animarum, sed actu ipse est verus parochus, licet vicarius parochus dicatur, quatenus servat quoddam vinculum dependentiæ, præsertim in juribus honorificis vel pecuniariis erga collegium illud in quo habitu residet cura animarum.

Similis verificatur casus etiam quum cura animarum sit penes unum parochum, sed ille vel ex aliqua causa, infirmitatis, senii vel alius hujusmodi, non potest animarum curam parochialem sustinere; vel habet aliquam plebem adeo dissitam ab ecclesia parochiali ut e sua ecclesia non possit illis satis consulere.

Tum in primo casu solet parocho dari coadjutor vel parochus vicarius qui loco ipsius actu sustineat curam animarum, ille autem parochus habitu tantum reti-

neatur. In altero vero casu, de jure statutum est ut inter limites parochiæ principalis vel matricis, nova ædicula sacra seu *parochiola* erigatur, cui distinctus vicarius parochus destinetur, qui servatis quibusdam dependentiæ vinculis erga ecclesiam matricem, seu parochiam primitivam, actu gerat curam animarum erga plebem illam pro qua hæc nova erecta est parochiola. Qui licet actu gerat curam animarum, vicarius tamen nuncupatur, propter ordinem quem servat erga ecclesiam primitivam, cui saltem habitu adhuc concipitur inesse cura parochialis.

XXXVII. His positis, de variis horum vicariorum speciebus hæc possumus innuere.

Vel ipsi vicarii parochi perpetui sunt, vel mere temporanei. Si *perpetui*, ipsorum officium parum vel nihil distat ab officio parochorum, servatis tantum quibusdam vinculis dependentiæ erga parochum penes quem habitu residet cura animarum (quod potissimum in quibusdam honorariis juribus collocatur). Eadem jura, eadem officia habent quæ parochi. Propterea illis applicanda veniunt quæ supra de parochis innuimus.

Si vero *temporanei*, distinguendum est an ipsi habeant parochum sibi superiorem cui collaborent, vel suppleant omnino defectum parochi. Si primum, id est, si mere substituti inveniantur esse, tantum possunt quantum ipsis a parocho commissam habetur; nec vicarii parochi dicti sunt, sed *vice-parochi*.

Si alterum, ut nempe parochus de facto nullus habeatur, quemadmodum parochi sunt œconomi, tunc pro œconomatus sui tempore, id omne habent auctoritatis, generatim loquendo, quod ipsis tribuatur parochis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De hierarchia jurisdictionis in collegiis.

I. Absoluta nunc prima tractatione de hierarchia ecclesiastica in singulis clericorum personis considerata, ad alteram partem devenimus, quæ erit de hierarchia, quatenus in collegiis clericorum habetur.

Collegia clericorum quæ aliquam in Ecclesia habent auctoritatem, ad tres possunt categorias revocari, videlicet : 1° nonnulla collegia sunt ordinis pastoralis seu legislativi; 2° alia sunt ordinis senatorii, seu consultivi; 3° alia demum ordinis sunt pure administrativi vel judiciarii. Unde hic articulus in tot capitula subdividetur.

§ I. DE CONCILIIS.

II. Pro analogia quæ regnat inter divinas et ecclesiasticas institutiones, quemadmodum divino jure suprema in Ecclesia auctoritas ita uni collata est pastori, ut simul pastorum universitas sub illo constituto capite, ad ejusdem plenitudinis consortium admitteretur; ita et jure ecclesiastico, quando singulorum episcoporum auctoritas determinata est ad ordinarium regimen unius diœcesis; ita enim visus est episcopus diœcesi suæ præpositus, ut cum ipso universus diœcesanus clerus, sub illo constituto capite, ordinariæ ejusdem diœcesis administrationis particeps ejus videretur.

Similiter et quando institutæ fuerunt sedes patriarchales, primatiales vel metropolitanæ, non tam harum sedium titulares propositi sunt ecclesiasticæ administrationis, nationis, regni vel provinciæ, quam integrum collegium episcoporum illius nationis, regni vel provinciæ sub patriarcha, primate vel metropolita, con-

stitutum universæ administrationis ecclesiasticæ nationis, regni vel provinciæ propositum est.

Unde plura assurgunt collegia ordinis pastoralis et legislativi quæ jus dicunt in Ecclesia, quæ ad tres gradus possunt revocari.

III. *Primum* in hac categoria gradum obtinet collegium episcoporum sub Romano Pontifice constitutum. Hoc enim eamdem tenet auctoritatis plenitudinem quam solus Romanus Pontifex habet, si consideratur hierarchia quoad singulos clericos. Propterea hic gradus auctoritatis, in ordine collegiorum, respondet pontificatui maximo, in singulorum clericorum ordine.

Secundum, seu intermedium, tenent locum collegia vel omnium episcoporum nationis aut regni sub patriarcha vel primate, seu collegium omnium episcoporum comprovincialium sub metropolita suo, siquidem auctoritas hisce competens collegiis nec adeo patet ex una parte, ut ad universam extendatur Ecclesiam, nec adeo coarctatur ex altera, ut intra limites unius diœceseos contineatur. Extenditur nempe ad negotia ecclesiastica totius nationis, regni vel provinciæ, ideoque respondet in ordine collegiorum illi auctoritatis gradui quem in ordine singulari habent legati pontificii.

Tertium et ultimum tenet locum collegium clericorum diœcesanorum sub episcopo suo. Illius enim auctoritatis quæ data est ab episcopo diœcesano, limites non prætergreditur. Unde in ordine collegiali respondet illi gradui auctoritatis quem in ordine singulari tenet episcopus diœcesanus.

IV. Non tamen putandum est sic posse et collegia jurisdictionem exercere sicuti possunt singulares personæ. Nam quum collegium, seu hæc persona moralis, resultet ex unione plurium individuorum, necesse est

ut omnium, moraliter loquendo, membrorum collegii voluntas in unam veniat deliberationem, in unam conveniat voluntatem, quæ vere et proprie voluntas totius collegii seu ipsius personæ moralis dici possit. Quum autem hæc collegia non sint instituta ακεφαλα, sed habeant suum caput quod collegio præest, hæc unitas voluntatum, cohærenter ad hanc collegiorum formam, obtinetur per conspirationem seu fusionem omnium voluntatum in voluntate illius qui collegio præsidet.

Hoc autem dupliciter verificari potest, videlicet: vel habitualiter et ordinario, vel extra ordinem et actualiter. *Habitualiter et ordinario* servatur hæc concordia, hæc unitas voluntatum per subjectionem quam singuli de collegio habent et servant erga caput vel principem suum, adeo ut, licet invicem discreti, singulis suis peculiaribus incumbant officiis, tamen ob vinculum subjectionis quo id agunt sub principis voluntatis influxu, omnium una sit voluntas pro bono totius.

Ita proinde episcopi, licet singuli suis diœcesibus dispersi intendant, tamen in quantum dependenter a Romano Pontifice, servato nempe ordine cum pastore principe, moderantur partem totius Ecclesiæ, omnium una est voluntas pro bono totius Ecclesiæ, omnesque aliquo sensu universam gubernant Ecclesiam. Unde aiebat Cyprianus: Unus est episcopatus cujus a singulis in solidum pars tenetur. Unde cum singuli gubernent partem, omnes, propter unitatem Ecclesiæ, in solidum gubernant totum.

Ita et clerus diœcesanus, licet per diœcesim dispersus peculiaribus incumbat officiis, tamen propter unam episcopi voluntatem, quæ in omnes influit, omnes tanquam unum corpus cum episcopo universam in solidum administrant diœcesim.

Ita et episcopatus provinciæ vel nationis, quando juxta normas juris ecclesiastici quod pro ecclesiis provinciæ vel nationis latum est, servato dependentiæ vinculo erga patriarcham, primatem vel metropolitam, suis ecclesiis intendunt, propter unionem voluntatis habitualem, quæ respicit bonum totius provinciæ vel nationis, et ipsi in solidum et pro parte sua aliquo sensu ecclesias nationis vel provinciæ gubernant.

Sed est etiam in jure modus quo *actualiter*, licet *extra ordinem* hæc voluntatum obtinetur concordia, nempe si universum collegium, sub capite suo constitutum, in unum conveniat locum, ubi communicatis consiliis de re Ecclesiæ sibi commissæ deliberent. Hi pastorum Ecclesiæ conventus, græce συνοδοι, latine concilia vocantur : qui tamen ut legitime habeantur, plura requirunt, de quibus nunc est disserendum.

V. Tria sunt quæ jure requiruntur ut synodus legitime facta dicatur, videlicet : 1° convocatio, 2° celebratio, 3° confirmatio.

Convocatio dicitur publica intimatio a superiore facta omnibus de collegio, ut synodus, certo in loco et statuto tempore celebretur. De jure est quod et convocatio fieri debet a Romano Pontifice, si quæ congregari velit synodus œcumenica; a patriarcha, primate vel metropolita, si synodus particularis congreganda est, sive nationalis, sive provincialis respective ; ab episcopo autem, si de synodo diœcesana sermo sit. Isti enim sunt respective superiores collegii quod in tali synodo congregari habeat.

Pari modo descendit quod intimatio synodi œcumenici fieri debeat omnibus orbis catholici episcopis; particularis, nationalis nempe vel provincialis, omnibus nationis vel provinciæ episcopis; diœcesanæ omnibus diœceseos clericis, iis præsertim qui in par-

tem episcopalis sollicitudinis vocati sunt. Nam hi omnes membra sunt collegii quod respective in hujusmodi synodos congregantur.

Demum, quod locum spectat vel tempus habendæ synodi, nihil de loco expresse definitum habetur. Unde arbitrii superioris est hunc locum eligere quem commodiorem judicaverit, licet synodi non debeant extra territorium haberi illius collegii quod convenit. De tempore vero nihil definitum est pro œcumenico concilio; nihil etiam de nationalibus. Sed pro provincialibus vel diœcesanis synodis definitum est a concilio Tridentino, ses. 24, de reform., cap. 2, ut provinciales singulis trienniis, diœcesanæ quotannis habeantur. Verùm hæc etiam concilii dispositio ex hodierna consuetudine exolevit. Nam ad synodos provinciales quod pertinet, ob frequentiam jurgium quæ contingebant inter episcopos, statutum fuit a S. C. concilii (teste de Luca) ut prius haberi non possint, nisi obtenta venia a sede apostolica; quod et pro nationalibus multo magis observatur.

Pro diœcesanis vero, vix semel aut iterum solent episcopi, in toto sui episcopatus tempore, diœcesanam synodum congregare, contenti ut ea observentur quæ in antiquioribus synodis decreta habentur. Sed Bened. XIV, de syn. diœc., lib. 1, cap. 6, putat excusari non posse episcopum qui, absque justa causa, synodi celebrationem omnino prætermiserit.

VI. *Legitima celebratio* consistit in actuali conventu omnium de collegio sub pastore principe constitutorum, ubi, servatis de jure servandis, de re Ecclesiæ sibi commissæ deliberent. Inde est quod ad hanc etiam requirantur :

1° Præsidentia unius pastoris qui collegii sit princeps, qualis est pro œcumenica synodo Romanus Pontifex;

pro nationali vel provinciali, patriarcha vel primas, seu metropolita; pro diœcesana, episcopus.

Sed non est eadem præsidentiæ vis quam habent hi omnes in sua synodo respective. Nam Romanus Pontifex præsidet synodo generali tanquam Pastor pastorum, tanquam ille solus qui sine synodo omnia posset et sine quo synodus nihil posset. Propterea sunt quidem cæteri pastores judices in synodo; sed ita ligantur superiori judicio, ut sententiæ ipsorum, si ab unius superioris discrepent sententiâ, nulla datur vis. In tantum quippe sunt judices de rebus universæ Ecclesiæ in quantum cum supremo pastore conspirant, et cum ejus voluntate identificantur.

Præsidet autem episcopus in synodo diœcesana tanquam solus pastor inter vicarios suos. Unde clerici in hujusmodi synodis potius *consiliariorum* partes gerunt quam *judicum*. Nec episcopus vicariorum suorum sententia ligari potest.

Præest autem patriarcha, primas vel metropolita in synodo nationali vel provinciali, nec tanquam pastor pastorum, nec multo magis ut solus pastor, sed tanquam pastor princeps inter æquales, qui tunc per se non habet auctoritatem totius synodi, sicut Romanus Pontifex in concilio generali, vel episcopus in synodo diœcesana; sed imo totius synodi sententiæ subjectus habetur. Propterea hujus synodi sententia non capitur ex concordia cum suffraganeis, prouti in concilio generali verificatur, nec ex sola prælati voluntate, sicuti in synodo diœcesana; sed ad placitum absolutum suffraganeorum, quod independenter a voto superioris repræsentat synodi voluntatem, tota refertur vis decretoria hujusmodi conventus.

2º Requirit hæc celebratio ut omnes conveniant, ut tot sint numero vel tanti dignitate pastores conve-

nientes, ut moraliter talis conventus dici possit universam commissam Ecclesiam (vel generalem, vel particularem respective) repræsentare.

3° Requirit ut serventur cætera quæ de jure servanda sunt; ut absit fraus, dolus, timor, violentia, quæ possent impedire liberam collationem voluntatum, et cætera fiant in sessionibus quæ a jure determinata habentur.

VII. Requiritur *solemnis ratificatio* a superiore facta eorum omnium quæ in synodo decreta sunt. Hæc autem observantur potissimum quoad synodos œcumenicas. Cum enim Romanus Pontifex, aliis implicatus negotiis, non soleat per se synodo præesse, sed per legatos suos, illis autem non possit delegare singularem illam assistentiam quam a Deo habet *personaliter*, ut non tantum conceptu juris, sed vere dici possit Romanus Pontifex in eam venisse voluntatem, necesse est ut synodalibus actis *personalis* illius *voluntas* accedat, eaque confirmet. Quæ solemnitas, licet postrema sit, cæteris prævalet, siquidem potest antecedentes defectus convocationis vel celebrationis sanare.

Quoad cæteras synodos vero, non ita servatur hæc confirmationis necessitas. Nam ad synodum diœcesanam quod attinet, leges in ea sancitæ, in ipsa synodo ab episcopo approbantur et promulgantur. Est enim potius episcopus qui in synodo jus dicit, quam ipsa synodus jus dicat.

Ad synodos vero provinciales vel nationales quod spectat, voluntas quidem fuit Sixti Papæ V, ut illarum acta Romam mittantur a S. C. concilii examinanda; non tamen ut positive confirmationem recipiant a Romano Pontifice, sed ut in illis corrigantur illa, si qua forte essent, quæ rectæ rationis, jurisque ecclesiastici principiis minus viderentur consentanea.

Sed aliquando, petentibus ipsis episcopis, solet Romanus Pontifex ea confirmare pro illa scilicet provincia vel natione quam spectant.

VIII. His positis, *ad principia* deveniendum est quæ poni possunt pro determinanda horum collegiorum auctoritate.

1° Collegia quæ habent in Ecclesia potestatem legislativam, seu pastoralem jurisdictionem, sunt collegia omnium episcoporum sub Romano Pontifice, pro Ecclesia universa; omnium episcoporum regni vel provinciæ cum patriarcha vel metropolita; et omnium clericorum diœcesis sub episcopo diœcesano.

2° Hanc auctoritatem duplici exerceri potest modo: habitualiter et ordinariè, quum nempe episcopi in suis diœcesibus dispersi, suisque incumbentes officiis, retento subjectionis vinculo, cum una superioris voluntate colligantur; actualiter, quum conveniunt in synodum generalem vel particularem, etc.

3° Natura auctoritatis his collegiis competens est vera auctoritas pastoralis, legislativa. Eapropter respective habet omnia attributa supremæ auctoritatis, tum quoad Ecclesiam universalem, tum quoad particularem, etc. Eapropter habet potestatem leges ferendi, judicialem, coercitivam, administrativam, uno verbo, omnia attributa gubernativæ pastoralisque auctoritatis.

4° Hæc autem auctoritas non ex eodem fonte in hæc collegia derivatur. Collegia enim primi gradus habent originarie, vi divinæ Christi institutionis; secundus gradus, ex toto delegatam de jure ecclesiastico, non secus ac delegatam habet patriarcha, primas vel metropolita qui his præsidet collegiis. Demum infimi gradus collegia, id est, diœcesana, de jure divino indeterminatam habent, quatenus de jure

divino sit ut clerici sint episcoporum coadjutores in Ecclesiæ regimine, et mansuetudo auctoritatis ecclesiasticæ, non spernat inferiorum consilia ; sed determinatam habent a jure ecclesiastico quod sedes distribuit jurisdictionemque assignat.

§ II. DE COLLEGIIS ORDINIS SENATORII.

IX. Satis diximus de collegiis ordinis pastoralis in Ecclesia. Nunc de collegiis ecclesiasticis ordinis senatorii vel consultivi.

Christus Dominus ecclesiasticæ jurisdictionis auctor, eam non fastu majestatis exercendam, sed christiana humilitate temperandam esse voluit. Quapropter admonebat discipulos suos, ne in ejus exercitio, principum imitarentur majestatem, sed charitatem pastoris : *Principes gentium dominantur earum ; vos autem non sic ; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor*, etc. Et Petrus admonebat Ecclesiæ pastores ut gregem Dei pascerent, providerentque, non coacte, sed spontanee, neque sicut dominantes in cleris. (1 S. Pet., 5, 2.)

His admonitionibus edocti, episcopi nihil habuere antiquius quam ut presbyterium suum, seu majorum diœcesis clericorum collegium consulerent, quando de re ecclesiæ sibi commissæ essent deliberaturi, ut nempe illius collegii votum expeterent. Quo factum est ut presbyterium jura cujusdam senatus ordinarii adquisierit, cujus consiliis episcopus quoad viveret, ecclesiam sibi commissam gubernaret, eoque mortuo vacantis ecclesiæ regimen sumeret, quousque novus non constitueretur pontifex.

Sed hæc jura senatoria, quæ olim fuerant communia universo clero diœcesano (quum nempe una in singulis diœcesibus erat ecclesia, nempe cathedralis, cui universus clerus sub episcopo erat addictus) —postquam

aliæ ecclesiæ, seu alii tituli secundarii, primo rurales, deinde civitatenses, erecti sunt, quibus singulis addicti sunt clerici, — illius propria remanserunt collegii tantum, quod cathedrali ecclesiæ addictum erat, id est, penes collegium illud primitivum ex quo cæteri clerici avulsi sunt, ut nempe inferioribus addicerentur ecclesiis.

Hæc autem disciplina majorem etiam accepit vim, in diesque confirmata est, ob vitæ communis institutum, quod jam tunc a sec. V° recipi cœpit inter clericos diœcesanos. Instituta quippe inter clericos hac vita, ut eodem victu, eadem habitatione, eademque administratione in communi uterentur, nemo non videt eos majori familiaritate arctari potuisse cum episcopis clericos qui ecclesiæ cathedrali addicti erant ubi residebat episcopus; ita et jura illa adquisita senatus episcopalis collegio isti clericorum cathedralis ecclesiæ, per institutum vitæ communis, in dies magis magisque confirmata sunt.

X. Sed alii clerici, qui longe vivebant a cathedrali ecclesia, et ipsi, ad priorum imitationem, vitam communem inter se recipi curaverunt. Unde præter hujusmodi collegium clericorum ecclesiæ cathedralis, quod erat senatus episcopalis, et alia ad instar illius secundaria collegia fuerunt instituta; et quemadmodum collegium illud primitivum dictum fuit *capitulum*, ita et hæc secundaria capitula dicta sunt.

Sed illud, ut a cæteris distingueretur, capitulum dictum est *canonicorum* ecclesiæ cathedralis, vel capitulum antonomastice. Hæc autem capitula ecclesiarum conventualium seu collegiatarum dicta sunt *capitula collegiata*.

Porro quum capitula non sint nisi quædam collegia clericalia senatuum instar instituta, senatus autem

dignitas relativa sit dignitati principis cujus est a consiliis, unusquisque videt quod, pro dignitate illius cujus capitulum fuit senatus, varia dignitas capitulorum seu varii gradus dignitatis in hac categoria emerserunt. Siquidem ubi capitulum ita esset constitutum ut non haberet prælatum vera gaudentem ecclesiastica jurisdictione, prout evenit in collegiatis infimi ordinis, præter quædam jura honorifica vel pure administrativa, nihil aliud potuit acquirere; sese enim referebat ut esset senatus cujusdam prælati qui nullam haberet jurisdictionem.

Ubi vero capitulum, licet collegiatæ ecclesiæ, tamen habebat prælatum quasi episcopali gaudentem jurisdictione, quasi cathedralis capituli jura potuit acquirere in administratione ecclesiæ quæ huic prælato foret commissa, scilicet verum influxum in externam et publicam ecclesiæ administrationem.

Capitulorum autem cathedralium ecclesiarum nec una fuit dignitatis ratio, prouti non una dignitas episcoporum quorum erant senatus. Infimum quippe locum obtinuit capitulum ecclesiæ simpliciter episcopalis; majorem capitulum metropoleos; majorem etiam capitulum ecclesiæ primatialis vel patriarchalis; siquidem erat a consiliis illius auctoritatis quæ sese referebat ad negotia, non unius tantum ecclesiæ, sed omnium ecclesiarum provinciæ vel nationis. Propterea in ordine suo de metropolitana vel primatiali seu patriarchali participabat auctoritate, in quantum scilicet una cum metropolita vel primate seu patriarcha, negotia provincialis vel nationalis ecclesiæ in solidum administrabat.

Hoc ergo processu inductivo, ad hanc conclusionem deveniendum esse videretur: capitulum ecclesiæ cathedralis romanæ, —tanquam senatum illius episcopi qui

omnibus est episcopis superior, — omnibus aliis capitulis superesse dignitate, tanquam illud quod in administrationem universæ Ecclesiæ aliquem influxum exercere posset.

XI. *De collegio cardinalium.* Quod ergo in cæteris ecclesiis, id etiam in Rom. diœcesi receptum fuit, ut presbyterium nempe clericorum majorum diœcesis constitueret senatum ordinarium, cujus ope et consilio episcopus ecclesiam sibi commissam administraret. Sed in hoc fuit differentia, quod in aliis diœcesibus (erectis inferioribus titulis illisque clericis addictis) jura senatus episcopalis propria facta fuerunt illius tantum clericorum collegii quod mansit ecclesiæ cathedrali addictum : cæteri clerici, eo ipso quod ab hujus modi collegio distracti sunt, jura senatus episcopalis amiserunt. Romæ vero vice versa contigit : erectis ab antiquitate secundariis titulis, quibus incardinati sunt presbyteri ac diaconi, collegium horum presbyterorum diaconorumque cardinalium primitivo illi presbyterio successit, ad exclusionem illorum qui addicti ecclesiæ cathedrali remanserunt. Habiti sunt tanquam romanorum clericorum principes, quippe qui primitivum illud repræsentarent presbyterium, quod ab antiquitate non uni cathedrali ecclesiæ, sed etiam secundariis titulis fuerat addictum.

Constabat hoc collegium S. R. E. cardinalium presbyteris et diaconis tantummodo. Romæ enim, sicut et in cæteris diœcesibus, non erat nisi unus titulus episcopalis, — nempe ecclesia cathedralis, — cui incardinabatur seu perpetuo addicebatur episcopus. Propterea episcopus romanæ Ecclesiæ cardinalis erat papa.

Sed tractu temporis, saltem a seculo XI, quidam episcopi in hujusmodi collegium recepti sunt, septem nempe episcopi romanæ diœcesis finitimi : Ostiensis,

Portuensis, Albanensis, Prænestinus, Sabinensis, Tusculanus et episcopus S^{æ} Rufinæ seu Sylvæ Candidæ. Illi tanta familiaritate cum clero romano conjuncti sunt ut et quasi de clero romano ipsi poterant considerari. Romæ enim frequenter aderant, assueti interesse synodis et consultationibus cleri romani, quinimo ad Lateranensem accedere basilicam, ut ibi, una cum clero romano, astarent quando Sum. Pontifex sacra erat celebraturus. Imo vice Rom. Pontificis, si quando abesset, ipsis solis licebat ascendere sacrosanctum altare basilicæ Lateranensis, ibique sacra celebrare mysteria, quod per vices et per hebdomadas faciebant.

Ex qua consuetudine, et ipsi visi sunt quodammodo ecclesiæ Lateranensi addicti. Unde dici cœperunt *episcopi cardinales* Rom. Ecclesiæ, vel episcopi Lateranensis ecclesiæ cardinales, seu Romani Pontificis collaterales, vel episcopi hebdomadarii.

Hujusmodi igitur VII finitimi episcopi, non intuitu sedis cujus habebant titulum, sed intuitu Lateranensis basilicæ cui ad instar romani cleri videbantur incardinati, pars fuere collegii cardinalitii, quod tres ordines habere cœpit : *episcopatum, presbyteratum* et *diaconatum*.

Sed numerus cardinalium erat indefinitus et vagus. Ineunte sæc. XII, videntur VII fuisse episcopi, XXVIII presbyteri, XVIII diaconi, postremorum alii *titulares* suam habebant diaconiam, alii vero *palatini* qui nempe officiis præstandis Rom. Pontifici in palatio papali erant addicti.

Successu temporis decrevit horum numerus, adeo ut electioni Nicolai III octo tantum cardinales videntur affuisse. Numerus crevit iterum et præsertim occasione schismatis Avenionensis. Sicut enim partes

contendebant de papatu, ita omnes suos habebant cardinales.

Sed demum Sixtus V — constitutione *Priusquam verus*, 1586 — statuit ut in posterum LXX esset cardinalium numerus, ad instar LXX seniorum quos (*Num.* XI) scimus a Deo datos fuisse Moysi consiliarios : XIV fuere diaconi, L presbyteri, VI episcopi, in unum conjunctis episcopatibus Portuensi et Sæ Rufinæ. Qui numerus hodiedum servatur, hac tamen facta differentia, quod episcopatus Centumcellensis a Leone XII ab episcopatu Viterbiensi distractus, unitus fuerit episcopatui Portuensi; hodie vero a Pio IX in singularem erectus est episcopatum.

XII. Sic data notione, assignatis speciebus et variis gradibus dignitatis capitulorum, et assignata dignitate quam, cathedralis instar capituli, Romæ tenet collegium S. R. E. CC., quædam statuenda sunt principia quæ valeant horum collegiorum auctoritatem determinare.

Quum capitula et collegium romanæ Ecclesiæ cardinalium nullam habeant divinam institutionem, non enim presbyteri et diaconi, sed episcopi positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, inde est quod hæc collegia nullam habeant auctoritatem, nisi quam jus ecclesiasticum aut commune aut particulare, scriptum vel non scriptum, illis concessit. Sed jus ecclesiasticum, aliam his collegiis contulit auctoritatem vivente episcopo et ecclesiam suam gubernante, aliam vero sede vacante. Unde sub hac duplici differentia, sequentia statuenda sunt pro collegiorum auctoritate, primo sede plena, secundo sede vacante.

Capitulum, *sede plena*, est senatus ordinarius cujus consilio aut voto episcopus seu prælatus ecclesiam sibi commissam administrat. Unde capitula non habent

veram et proprie dictam jurisdictionem gubernandi regendique diœcesim, nisi in quantum unum corpus morale constituere videntur cum prælato, cujus a consiliis sedent, et cum quo in solidum videntur rempublicam administrare. Sed quoadusque sedes plena est, non potiuntur juribus corporis gubernativi, sed simpliciter consultativi ; sunt nempe corpus consiliariorum ordinariorum pastoris ecclesiæ.

Verum notandum est hoc consilium, hoc votum capituli esse maximi momenti in ecclesiastica administratione. Jure enim communi prohibetur episcopus quominus expediat graviora suæ ecclesiæ negotia sine consilio aut voto capituli sui : de quo titulus *De his quæ fiunt a prælato sine consilio capituli,* in Decretalibus habetur.

Unde fit quod, licet vivente episcopo capitulum non gubernet ecclesiam, maxime tamen influit in illius administrationem, et quodammodo temperat absolutam episcopi jurisdictionem.

XIII. *De juribus capituli sede vacante.*—Majora autem capitulo conveniunt jura, gravioraque officia sede vacante ; nam nisi aliquid specialiter in jure caveatur, tota jurisdictio episcopi, seu tota jurisdictio quæ adhærebat sedi episcopali quæ viduata est, in capitulum devolvitur, ut habemus in jure, titul. *de majoritate et obedientia :* quod quidem card. de Luca (in concil. Tridentin.) jure quodammodo non decrescenti opinatur evenire.

Cum enim capitulum, vivente episcopo seu prælato, jam in solidum cum episcopo ecclesiam administraret, defuncto episcopo, — quasi remoto obstaculo, quo fiebat ne jurisdictio tota capitulo inhæreret, — in eo universa consolidatur. Unde capitulum sede vacante potitur ordinaria et pastorali episcopi jurisdictione, eaque

potest, sede vacante, quæ episcopus vi jurisdictionis sedi suæ inhærentis poterat.

Sed hæc, licet ordinaria et vere pastoralis capituli jurisdictio, sede vacante, non recipit illud plenum exercitium quod habet dum episcopus vivit et ecclesiam suam administrat; sed illud tantum quod interregni postulat natura : hunc enim statum ecclesiæ a capitulo gubernatæ comparant sacri canones interregno. Jam vero interregni natura est, ut per eum, penes quem reipublicæ summa est, nihil innovetur, nec ulla ex parte modificetur status subjectæ societatis, sed ea tantum expediantur negotia quæ ulteriorem moram non sinunt; illi autem cætera reserventur penes quem regendi societatem ordinarium jus consistit. Quapropter habemus titulum in jure : *Ne sede vacante aliquid innovetur.*

Propterea capituli, sede vacante, jurisdictio hac tenetur limitatione : ut rem novo antistiti conservet eo præcise in statu quo a decessore relicta est.

XIV. *De vicario capitulari.*—Demum ne negotia pluribus concessa segnius, tardius et difficultius expediantur, statuit concilium Tridentinum, sess. 24 de reformatione, quod capitulum intra VIII dies a notitia habita vacationis ecclesiæ debeat quemdam suum deligere vicarium per quem hanc ordinariam jurisdictionem ad se devolutam exerceat. Porro quum capitulum habeat jurisdictionem quam transfert in *vicarium capitularem*, sequitur hunc vicarium comparari vicario generali sede plena. Repræsentat uterque ordinariam episcopi jurisdictionem in universam diœcesim. Hæc tamen notari possunt tanquam præcipuæ differentiæ inter gradum vicarii generalis et vicarii capitularis:

Prima est quod episcopus, summo jure inspecto, potest vicarium generalem sibi assumere vel non,

potest citius aut serius deligere. Sed capitulum tenetur transferre jurisdictionem in vicarium capitularem, et quidem intra dies VIII. Quod si distulerit, jus deputandi hunc vicarium devolvitur in metropolitam, si agatur de ecclesia suffraganea; in antiquiorem episcopum provinciæ, si de metropolitana ecclesia; ad viciniorem episcopum, si de ecclesia exempta. Sic Tridentinum, ubi supra.

Secunda differentia est quod episcopus potest vicario suo generali eam quam vult jurisdictionem committere ; — non potest tamen sibi reservare nonnulla quæ de jure adhærent officio vicarii generalis ; — sed quædam sunt jura episcopalia quæ si de speciali non dantur ab episcopo, in vicarium generalem non transferuntur. Secus capitulum, juxta sententiam hodie communiter receptam, quam Bened. XIV de syn. diœc., l. 2, c. 2, et l. 4, c. 8, innuit, tenetur universam jurisdictionem quæ ad se devoluta est, in vicarium capitularem transferre, nec posset aliquid sibi reservare juris nisi defraudet mentem concil. Tridentini, quod ideo voluit unum esse in administratione ejusmodi vicarium, ut capitulorum discordiæ et difficultates administrationis tollerentur.

Ultima differentia est quod episcopus (Bened. XIV, l. 2, c. 9) potest pro suo libitu, etiam sine causa, mandatum vicario generali concessum ad se revocare eumque jurisdictione sua exspoliare. Secus capitulum electum vicarium recusare nequit, nisi causa cognita a S. R. cong. episcoporum et regularium.

XV. Hæc principia, pro data analogia inter capitula cathedralium et quasi cathedralium ecclesiarum cum collegio S. R. E. CC., ad dictum collegium applicari debent. Sed adsunt quædam particulares differentiæ, de quibus nunc agendum.

Quandoquidem collegium S. R. E. CC. locum tenet Romæ capituli cathedralis aliarum diœceseon, nulla dubitatio est quin sit Romæ senatus ordinarius Rom. Pontificis, sicuti capitula singularium diœceseon sunt senatus singulorum episcoporum. Et eadem proportione qua dignitas et auctoritas cathedræ romanæ præest universis sedibus episcopalibus, ita hoc collegium præstat dignitate et auctoritate omnibus aliis collegiis senatoriis, siquidem est a consiliis illius sedis vel illius antistitis cui non una aut nonnullæ ecclesiæ, sed universalis commissa est Ecclesia.

Eapropter ab illorum consilio et voto dependet quodammodo administratio universalis Ecclesiæ. Unde pressiori sensu dicti sunt cardinales, quia vicinius adhærent cardini universalis Ecclesiæ, ut dicebat Leo IX in Epistola 1 (apud Labbeum); vel quia sunt cardines circa quos volvuntur portæ Ecclesiæ, ut dicit concilium Basileense.

Sed non obstante hac summa sacri collegii auctoritate, falleretur qui crederet tantum influxum exercere posse cardinales in negotiis sive Romanæ, sive universalis Ecclesiæ, quantum exercent capitula cathedralium ecclesiarum in negotiis diœcesanis. Nam sede plena solet quidem Rom. Pontifex in *consistorium* accire cardinales, sive *secretum* ubi de quotidianis et ordinariis negotiis, sive *publicum* ubi de extraordinariis et solemnibus negotiis deliberatur.

Sed non tenetur Rom. Pontifex illorum audire consilium, multo minus illorum votum sequi, sicuti episcopus illorum consilio aut voto astringitur in gravioribus diœcesis suæ negotiis. Namque episcopus qui ex divina institutione natus est subditus, ideoque communi juri astringitur, potuit a jure ecclesiastico recipere determinationem qua capitulum temperaret

quodammodo absolutam jurisdictionem, quam cœteroquin exercere posset. Sed pontificatus maximus, eo ipso quod in ordine suo supremus est, hanc juris ecclesiastici determinationem recipere non potest, ideoque potest quidem Rom. Pontifex consilium aut votum collegii cardinalium expetere, verum nec audire nec sequi tenetur.

Si vero sermo sit de sede vacante, nequit admitti quod in collegium cardinalium devolvatur ordinaria Sum. Pontificis jurisdictio, non secus ac devolvitur ordinariorum episcoporum jurisdictio in capitulum cathedrale.

Sed distinguitur primo quidem auctoritas civilis quam habet Rom. Pontifex uti rex in suo statu, ab jurisdictione ecclesiastica; secundo, jurisdictio ecclesiastica quam habet ut Rom. episcopus, a jurisdictione quam habet tanquam Pontifex Maximus.

Si sermo sit de *administratione bonorum temporalium* Ecclesiæ romanæ, seu de civili regimine status ecclesiastici, quidquid olim obtinuerit (de quo lib. diurnus RR. PP. lib. 2, cap. 1), hodie ex constitutione *Ex deligendis* Pii IV, auctoritas devolvitur in cardinalem camerarium, qui in ejus exercitio assistitur a tribus decanis singulorum ordinum hujus collegii, per turnum de tribus in tres dies ; seu primis tribus diebus assistitur a primo decano ordinis episcoporum, item presbyterorum ac diaconorum, etc.

Si sermo sit *de jurisdictione ecclesiastica* circa diœcesim romanam, hæc licet pro analogia cæterarum diœceseon devolveretur in hoc collegium, sicuti in capitulum pro cæteris diœcesibus, hodie tamen, per institutionem cardinalis vicarii quasi Romæ ordinarii, — quod officium morte Pontificis non exspirat,— hæc jurisdictio episcopalis pro diœcesi romana in hujus-

modi collegium non devolvitur, sed ea exercetur, sicuti vivente Pontifice Maximo, ab eodem vicario.

Demum si sermo sit de *jurisdictione Pontificatus Maximi*, ejus acquirendæ incapax est S. R. E. CC. collegium, quæ uni tantum capiti competere potest ; et prohibetur constitutione *Ne romani* (cap. 2° Clem. de electione), quominus hæc jurisdictio in S. R. E. CC. collegium devolvatur.

Solum datur huic regulæ generali exceptio : si aliquod negotium tantæ necessitatis emergat ut moram non patiatur. Tunc enim statuitur per constitutionem Gregorii X *Ubi periculum*, quæ lata est in concilio 2° Lugdunensi, ut omnes cardinales, vel saltem duæ tertiæ partes istorum, possint per secreta suffragia celeriter huic negotio expediendo occurrere. Sed excepto hoc casu peculiari in quo hæc auctoritas jure ecclesiastico confertur S. Coll., de cætero nullam pontificiam jurisdictionem exercere possunt. Unde totum officium hujus collegii sede vacante unice videtur consistere in electione novi Pontificis, quæ jam a concilio romano sub Nicolao II (1059) ad hoc solum spectat collegium. Unde tantam dignitatem præseferre visi sunt S. R. E. cardinales ut in concilio Lugdunensi (1245) omnibus episcopis et patriarchis prælati sint et immediate post Rom. Pontificem sederent in concilio.

§ III. DE COLLEGIIS CLERICALIBUS ORDINIS ADMINISTRATIVI.

XVI. Quamvis omnes Ecclesiæ prælati suum habeant senatum, cujus consilio de rebus Ecclesiæ deliberent, tamen quædam emergere possunt negotia quæ non una vel alia sessione definiri valeant, sed exigant assiduam et permanentem nonnullorum operam ut ea, qua par est, diligentia pertractentur. Tunc solent a

prælatis quædam institui collegia clericorum, aliquando laicorum etiam ministerio coadunata, quibus diversi generis negotia curanda, discutienda, definienda demandantur.

Hæc collegia, quæ vocari solent deputationes, commissiones, congregationes, variæ dignitatis esse possunt, sive inspecta auctoritate qua instituuntur, sive nobilitate personarum quibus constant, sive magnitudine objecti circa quod versantur, sive qualitate jurisdictionis quæ ipsis committitur. Exinde hæc etiam, — sicut antecedentes categoriæ collegiorum clericalium, — plures admittit inferiores et superiores gradus. Infimum tenent gradum peculiares commissiones clericorum in una vel alia diœcesi institutæ, ut quædam negotia diœcesana pertractent; maximum vero congregationes illæ quæ dicuntur *Congregationes Romanæ*. Nam sive inspecta Rom. Pontificis auctoritate, qua fuerunt institutæ; sive qualitate personarum quibus constant, — cardinalibus nempe constant aliisque curiæ conspicuis romanæ viris; — sive qualitate negotiorum circa quæ adlaborant, — quæ nempe, ut plurimum, administrationem spectant Ecclesiæ; — sive suprema auctoritate quæ, in suis respective negotiis, a Rom. Pontifice ipsis communicatur : omnibus aliis congregationibus romanæ ita præstant ut hæ solæ totam hanc tractationem sibi vindicent.

De S. congregationibus romanis.

Omissis igitur aliis quæ multo minoris sunt momenti, primum harum S. R. E. Congregationum notionem et differentiam trademus; demum principia statuemus de ipsarum auctoritate.

XVII. *Notio et differentia S. Cong.* Romæ congregationes dicuntur collegia particularia ex aliquot cardi-

nalibus aliisque viris præstantissimis in urbe constituta pro nonnullis negotiis curandis, discutiendis ac definiendis.

Hæ distingui solent in duo genera : aliæ quæ politicæ et civiles, aliæ quæ ecclesiasticæ dicuntur. *Politicæ et civiles* sunt quibus Rom. Pontifex curandum definiendumque committit negotium aliquod civile vel politicum suæ ditionis vel regni civilis. Sed hæ sunt tractationi nostræ adiaphoræ, siquidem non de jure civili, sed de ecclesiastico nobis est disserendum.

Aliæ vero sunt *ecclesiasticæ* quibus aliquod negotium ecclesiasticum curandum ac definiendum committitur, quæ in duas species dividuntur : extraordinariæ sunt vel ordinariæ.

Extraordinariæ pro aliquo extraordinario negotio expediendo constituuntur, quo absoluto, veluti suo officio functæ, per se cessant.

Ordinariæ autem constituuntur ad certi generis negotia expedienda quæ afficiunt ordinariam et quotidianam Ecclesiæ administrationem. Extraordinariæ, eo ipso quo tales sunt, non possunt ad certum numerum vel normam reduci. Ideo tota tractatio ad illas quæ dicuntur ordinariæ reducetur.

Hæ multiplices fuerunt, et saltem XIV hodiedum perseverant, quæ, ordine chronologico Pontificum a quibus suam institutionem nactæ sunt, ita possent distingui :

A Paulo III instituta fuit congregatio quæ dicitur *Sancti Officii*, seu universalis et supremæ Inquisitionis contra hæreticam pravitatem.

A Pio IV, congregatio quæ dicitur *Concilii*, seu ad executionem concilii Tridentini.

A S. Pio V, congregatio *Indicis*, pro conficiendo et continuando catalogo librorum prohibitorum.

A Sixto V, numero multiplices institutæ sunt de novo, vel aliæ jam institutæ in meliorem formam redactæ. Institutæ sunt congregationes *Consistorialis*, — *Sacrorum Rituum*, — *Episcoporum et Regularium*.

A Clemente VIII, congregationes pro *examine episcoporum*, *fabricæ sancti Petri*.

A Gregorio XV, congreg. *Propagandæ fidei*.

Ab Urbano VIII, congregationes *Immunitatis ecclesiasticæ* et *Visitationis apostolicæ*.

Ab Innocentio X, congregatio *Disciplinæ regularis*.

A Clemente IX, congregatio *Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum*.

A Leone XII, congregatio *Studiorum*.

XVIII. 1° *Congregatio Sancti Officii*. Inter omnes congregationes cardinalium, sive ratione antiquitatis (illius enim institutio ad sæc. XII ascendit), sive ratione objecti de quo pertractat (agit enim de delictis contra fidem patratis), sive ratione capitis cui immediate subjicitur (habet enim Rom. Pontificem tanquam præfectum ordinarium), eminet. Est illa quæ vulgo dicitur supremæ et *universalis inquisitionis*, seu sancti officii. Sæc. XII cum hæresis Valdensium in Occidente, etiam in Italia, grassaretur, de re sua esse duxit Rom. Pontifex si quosdam viros eligeret qui, una cum episcopis, adversus tantum malum remedia opportuna quærerent.

Titulus *inquisitoris* collatus fuit ab Innocentio III Beato Dominico. Unde factum est ut ordo Prædicatorum, cujus Dominicus fundator extitit, maximam semper partem in hujusmodi negotiis habuerit.

Romæ, tribunal sacræ inquisitionis per ipsum Rom. Pontificem immediate regebatur, adjunctis pro opportunitate quibusdam coadjutoribus, qui potissimum eligebantur ex ordine Prædicatorum, et erant alter *Ma-*

15*

gister Sacri Palatii apostolici — cui jam ab antiquitate competebat revisio librorum edendorum — alter vero dictus *Commissarius.*

Sed sæc. XVI, quum erupit hæresis novatorum, visum est expedire si quædam congregatio specialis Romæ institueretur tanquam supremum tribunal S. inquisitionis, cui subessent ordinatim omnia tribunalia ejusdem ordinis in provinciis. Itaque Paulus III, constitutione *Licet*, 1542, sex cardinales instituit qui hujusmodi supremum tribunal constituerent. Super eamdem institutionem laboraverunt sequentes Pontifices usque ad Sixtum V, qui, constitutione *Immensa*, ultimo eam perfecit, ordinariamque et perpetuam reddidit.

Constat igitur hæc congregatio : — pluribus cardinalibus ad libitum Rom. Pontificis electis, quorum ipse per se præfectum agit ;— pluribus consultoribus, sæpe numero prælatis, ex ordine vel regularium vel secularium clericorum electis, quorum est suum consilium, in quæstionibus huic tribunali propositis, suppeditare;—demum pluribus administris, quorum princeps est prælatus ille qui dicitur *assessor sancti officii*, qui est veluti primarius consiliarius hujus sacræ congregationis ; qui assistit illi , dicitur *commissarius*, qui ex ordine Prædicatorum eligitur, et est veluti judex ordinarius in quæstionibus huic sacræ congregationi propositis, quique pluribus adjuvatur ministris secundariis, notariis et aliis, qui interveniunt pro examine reorum, pro instruendis processibus, etc.

XIX. 2° *Congregatio Concilii.* Concilium Tridentinum quum vidisset omnia sic non posse determinari quin aliqua declaratione indigerent, sessione 25 de Reform., sub capite de recipiendis et observandis decretis, rem universam contulit in fidem Romani Pon-

tificis. Unde Pius IV, quo Pontifice clausum est concilium Tridentinum, ne mens Tridentinorum patrum defraudaretur, prohibuit ex una parte ne privata auctoritate adjicerentur glossæ et interpretationes decretis conciliaribus, et ex alia instituit quamdam congregationem cardinalium, quam dixit *pro observantia et executione concilii Tridentini.*

Fuit igitur primitivum munus hujus congregationis procurare ut jus Tridentinum suam haberet executionem.

Sed cum prospexisset Sixtus V quod in applicatione ejusdem concilii plures emergere possent quæstiones, quæ desiderarent authenticam declarationem eorum quæ instituta fuerant in concilio, ampliavit munus congregationis (constitutione *Immensa*), eamque dixit institutam non tantum pro executione, sed etiam pro interpretatione concilii Tridentini. Unde bipartitum fuit officium hujus S. congregationis : 1° *interpretatio decretorum disciplinarium*, consulto Rom. Pontifice, facienda; nam interpretatio canonum *dogmaticorum* reservatur unice Sum. Pontifici; 2° *executio eorumdem decretorum.*

Constat hæc congregatio pluribus cardinalibus a Rom. Pontifice electis, quorum unus *præfectus* est. Habet, sicut cæteræ congregationes, suos consultores ac ministros, quorum unus est tanquam consiliarius ac minister primariusque executor decretorum hujus congregationis, *secretarius* nempe, qui est ex ordine prælatorum. Hic autem adjuvatur pluribus ministris, ex quibus *secretaria concilii* emergit.

Aliam congregationem instituit Benedictus XIV, non cardinalitiam, prælatitiam tamen, in appendicem dictæ congregationis concilii, cujus est quasi subsidiaria. Pro munere habet examinandas litteras quæ

ab episcopis mittuntur pro *relatione status suæ diœceseos,* præsertim tempore visitationis, ut referat ad congregationem cardinalitiam et subjiciat intuitui Rom. Pontificis, si quid videatur esse in hac relatione quod gravioris sit momenti auctoritatemque ipsius Pontificis requirat.

XX. 3° *Congregatio Indicis.* Cum nihil sit unde magis possint mores corrumpi quam lectio pravorum librorum, Ecclesia sui muneris esse duxit tum mediis præventivis, seu revisione, impedire ne tales edantur libri, tum mediis repressivis consulere ut si editi essent, vel materialiter destruerentur, vel saltem moraliter, cauta scilicet prohibitione, qua fidelibus esset interdictum eos legere ac retinere, unde illorum existimatio minueretur. Sic videmus, Act. XIX, 19, apostolos librorum copiam coram omnibus in ignem conjecisse, quorum pretium ad L denariorum millia pertingeret. Videmus tum ordinarios episcopos in sua diœcesi, tum Rom. Pontificem et concilia generalia in universa Ecclesia, horum pravorum librorum perditioni intendisse.

Sed circumstantiæ sæc. XVI, — quum nempe, adinventa arte typographica, jam tum sæculo præcedenti hæresis eruperat ex quo infinita pravorum librorum series et colluvies universam infestabat Europam,— postulare visæ sunt ut efficaciori medio huic malo succurreretur. Ita Pius IV proposuit (1557) ut *index* conficeretur, unde omnes Christi fideles scire possent a quibus libris abstinendum; index confectus et vulgatus est infra biennium.

Sed iterum concilium Tridentinum operi incubuit et statuit, sessione 18, ut index denuo perficeretur ad quasdam querelas, quæ subortæ fuerant, e medio tollendas. Sed jamjam concilium claudendum erat,

opusque nondum fuerat perfectum. Quare, sessione 25 in fine, rem patres commiserunt judicio et auctoritati Rom. Pontificis; et Pius IV, perfecto concilio, indicem hunc iterum publicavit.

Sed post hujus indicis promulgationem, non desinerat librorum publicatio. Unde ut opus indicis suam haberet continuationem, instituta est a Rom. Pontifice congregatio indicis ut, in ea parte pravorum librorum damnationem spectante, adjuvaret congregationem S[ti] officii, quæ etiam ad hanc provinciam deputata erat.

Constat autem congregatio indicis pluribus cardinalibus, quorum unus *præfectus* est. Habet plures consultores tum de seculari, tum de regulari clero; habet et ministros, quorum primarius, qui dicitur *secretarius,* ex ordine Prædicatorum eligitur.

XXI. 4° *Congregatio consistorialis.* A Sixto V instituta est (constitutione *Immensa*), sicut et aliæ duæ sequentes. Sic appellatur quia de sua institutione est ut sit consultrix consistorii cardinalium, videlicet instituta est pro discutiendis illis causis consistorialibus quæ aliquam patiuntur controversiam, ut ita discussæ et præparatæ possint in consistorium deferri, decreti et definitionis gratia.

Constat pluribus cardinalibus, nonnullis prælatis et suo secretario.

XXII. 5° *Congregatio Sacr. Rituum.* Præest liturgiæ sacræ, sive ut moderetur quotidianum sacrorum exercitium, sive ut discutiat et definiat controversias de beatificatione et canonizatione sanctorum.

Consessus hujus congregationis alter ordinarius, alter extraordinarius dicitur. *Ordinarius* dirigitur ad moderandas ordinarias functiones cultus christiani — sive in forma gratiosa, indulgendo, mandando sine

contradictione partium — sive in forma contentiosa, lites dirimendo. Occurrit illis controversiis quæ circa usum sacrarum cæremoniarum exoriuntur.

Extraordinarius dirigitur ad decernendos honores publicos cultus sanctis Dei, sive per beatificationem, sive per canonizationem. Congregatio, in hoc casu, semper in forma contentiosa et ampliori consessu procedit, videlicet advocatis aliis etiam consultoribus præter ordinarios, et auditis allegationibus *promotoris fidei*, qui in his judiciis sustinet partes non longe diversas ab iis quæ incumbunt advocato fiscali in judiciis criminalibus.

Constat hæc congregatio cardinalibus, quorum unus *præfectus* est, *consultoribus* pluribus ac *secretario.* Plures habet secretarius coadjutores; unde emergit *secretaria* SS. RR.

XXIII. 6° *Congregatio episcoporum et regularium.* Fuit duplex in primæva sua institutione, altera pro consultatione episcoporum aliorumque prælatorum, altera pro consultatione regularium. Sed in unam coaluerunt, quæ dicta est episcoporum et regularium.

Præest hæc congregatio omnibus casibus qui afficiunt vel episcopos vel regulares. Et cum in jure fere nulla causa sit quæ ad episcopos vel regulares non referatur, hæc congregatio est negotiis refertissima, et vocari solet *congregatio major :* Urbanus VIII eam dicere solebat congregationem universalem. Quo fit ut facile cum aliis etiam congregationibus in quibusdam casibus concurrat, præscindendo ab illis negotiis quæ proprie spectant ad alias. Habet suos modos procedendi in forma gratiosa vel contentiosa, etc.

Constat, uti cæteræ congregationes, cardinalibus, etc.

XXIV. 7° *Congregatio pro examine episcoporum.* A Clemente VIII est instituta. Gregorius XIV, qui tanquam episcopus Cremonensis, antequam factus esset cardinalis, sedebat in concilio Tridentino, apprime conscius sensus illorum Patrum circa rigorosum examen servandum tum de doctrina, tum de moribus eorum qui promovendi erant ad episcopatum, vix ut Summus Pontifex creatus est, constitutionem edidit in qua formam hujus examinis determinavit.

Nulla tamen congregatio ad hoc instituta fuerat. Clemens VIII prædecessoris sui opus perfecit, et peculiari constitutione edixit ut electi episcopi coram se et cardinalibus suæ darent specimen doctrinæ. Unde introducta est congregatio cardinalium et prælatorum, sub titulo examinis episcoporum, cujus est approbare doctrinam electi episcopi. Hæc etiam congregatio habet suum secretarium, etc.

Hodiernis moribus potius cæremoniale evadit hujusmodi examen.

8° *Congregatio fabricæ S. Petri.* Primitiva semina suæ institutionis habuit jam a Julio II; sed suam tenuit definitivam institutionem a Clemente VIII.

Constabat pluribus prælatibus ecclesiasticisque viris. Sixtus V huic collegio præfecit cardinalem archipresbyterum Sancti Petri. Clemens vero VIII hunc erexit in veram congregationem cardinalitiam, ejusque auxit facultates.

9° *Congregatio propagandæ fidei*, quæ instituta est a Gregorio XV, ad instar congregationis sancti officii, nam sicut ista de fide jam propagata adlaborat, ita illa de fide propaganda. Præest omnibus missionibus in partes infidelium, et intuitu missionum prædita est amplissimis facultatibus, siquidem in se una congregationum plurium aliarum officia complectitur, et

constituit organum generale per quod Romanus Pontifex necessitatibus missionum providet. Constat, prouti cæteræ, præfecto, secretario, etc.

Sed cum ad ipsam devolvantur spolia omnia decedentium clericorum, præter *præfectum* cardinalem, Propagandæ habet alium cardinalem *præfectum spoliorum,* qui administrationem gerit œconomicam, etc.

Urbanus VIII, ad instar collegiorum urbis, germanici et anglici et aliarum nationum hæreticorum qui a suis decessoribus instituti fuerant, collegium erexit propagandæ fidei, cujus regimen ad hanc congregationem spectat.

XXV. Duas alias congregationes instituit Urbanus VIII :

10° *Jurisdictionis et immunitatis ecclesiasticæ*, cujus officium est ut tueatur et defendat immunitatem seu libertatem locis, bonis et personis, Ecclesiæ competentem a civili jurisdictione.

11° *Visitationis apostolicæ*, cujus officium est peragendi visitationem diœcesis romanæ, prouti secundum canones et præsertim concilii Tridentini, debent visitare ordinarii locorum per se vel per suos vicarios. Cum autem Romanus Pontifex ob multiplices occupationes per se hanc visitationem non potest peragere, et ea non comprehenditur in facultatibus cardinalis vicarii in Urbe, ideo placuit Urbano VIII ut cuidam specialiter hoc deputaretur congregationi. Eapropter dare voluit locum fixum et stabilem in hac congregatione tum cardinali vicario, tum vices gerenti, qui repræsentant in Urbe diœcesanam Romani Pontificis auctoritatem.

Differt a cæteris congregationibus in quantum illius officium non extenditur ad universam Ecclesiam, sed ad romanam tantum diœcesim. Gaudet pluribus

prærogativis, et constituitur ad instar aliarum congregationum, etc.

XXVI. 12° Congregatio *reformationis regularium* ab Innocentio X instituta. Cum parva monasteria seu parvi conventus, in quibus pauci degunt religiosi, sint pernicies vitæ regularis, ut experientia docet, optimum duxit dictus Pontifex quamdam instituere cardinalium congregationem ut institueret diligentem inquisitionem circa reditus singularum domorum religiosarum, et personas quæ in eis degunt. Inita per hanc congregationem diligenti relatione super his, prodiit Innocentius X constitutionem *Ut in parvis*, qua suppressa sunt omnia monasteria quæ saltem sex religiosos sustentare non valerent, et plura decreta sunt circa numerum et qualitates necessarias religiosorum qui in parvis conventibus seu monasteriis habitant, ad hoc ut privilegio exemptionis ab auctoritate ordinarii diœcesani gaudere possent. Videbatur sic cessasse dictæ congregationis opus. Verum cum aliquando contingat ut suppressa monasteria ob populorum votum restaurari debeant vel existentia monasteria ob incommoda emergentia supprimi, inde est quod hæc congregatio in suo officio permansit, etc. Ab Innocentio vero XII in novam formam redacta est sub titulo *disciplinæ regularis*, ut infra.

13° Congregatio *indulgentiarum et sacrarum reliquiarum*, a Clemente IX instituta, cuique est expendere indulgentias vel sacras reliquias, cum removeat abusus qui his in rebus evenire possunt.

Congregatio *disciplinæ regularis*, ab Innocentio XII instituta, ut provideret custodiendæ regularium disciplinæ, qua in re subsidium præstat congregationi episcoporum et regularium.

14° Congregatio *studiorum* a Leone XII instituta, const.

quod *divina sapientia*, cujus est ut procuret doctam et piam institutionem in omnibus gymnasiis vel athenæis ditionis Romani Pontificis. Propterea non extenditur ad universam Ecclesiam, sed tantum ad universum statum temporalem Ecclesiæ romanæ. Ab illius jurisdictione eximuntur omnia collegia exempta, seminaria, scholæ monachorum, etc.

XXVII. *Data sic notione omnium congregationum romanarum, ponamus oportet aliqua principia de earum auctoritate.*

1° Jurisdictio harum congregationum est delegata.

2° Auctoritas quæ ut plurimum et communiter his concessa est, est vel œconomica, vel judicialis in ordine suo, seu pro negotiis assignatis. Propterea solent in iis R. P. suam interponere auctoritatem sive in forma gratiosa, sive in forma contentiosa. Solum aliquando potest competere his congregationibus facultas legislativa, nempe si consulto Romano Pontifice aliquid generaliter disponant, et ad instar legum generaliter promulgent, quod est extraordinarium, etc.

3° Hæc duplex auctoritas est in suo genere suprema, quando immediate repræsentant ipsam Romani Pontificis auctoritatem. Unde a sententia harum congregationum non datur ulterior appellatio.

4° Jurisdictio his congregationibus competens exercetur pro casibus obviis, quotidianis et ordinariis a secretario singularum congregationum, cum consensu cardinalis præfecti; pro casibus autem majoris momenti, ab integro collegio, tum cardinalium, tum consultorum, siquidem hos habeat, hac vero differentia quod cardinales habeant votum deliberativum, consultores vero tantum consultativum. Propterea ultima decisio pendet a majoritate votorum cardinalium de congregatione.

5° Quum provincia singularum non ita sit definita ut non possit aliquod negotium esse tum unius, tum alterius, inde fit quod obtineat inter eas jus *præventionis* ut illa congregatio rem ad exitum producat ubi primitus proposita est; secus incurritur pœna nullitatis. Sic proinde si petitio proposita est congregationi sancti officii, v. g., non potest amplius in congregatione indicis proponi, vel si in congregatione episcoporum et regularium, non potest proponi in congregatione sacrorum rituum, etc.

Scholium de curia, tum episcopali diœcesana, tum romana.

XXVIII. *Curia*, si vocis spectemus etymon, derivatur a *curis*, eoque nomine significarunt Latini ædificia publicis negotiis seu curis destinata. Translato autem sensu, seu per metonymiam, significat complexum omnium officialium qui in principali reipublicæ adlaborant, qui propterea curiales dicti sunt; non absimili significatione hac voce utimur et in jure canonico, nempe per curiam intelligimus officia illa centralia quibus publica Ecclesiæ res gubernatur.

Porro cum ecclesia cathedralis ita sit constituta, ut pluribus coalescat peculiaribus ecclesiis, quæ dum omnes agnoscunt centrum commune in sede romana, singulæ habent suum centrum peculiare in sede episcopali circa quam aggregantur, inde est quod tot sint curiæ quot sedes episcopales; et eodem ordine quo aliæ aliis superiores sunt, ita et de curiis, incipiendo ab infima curia episcopali vel quasi episcopali, donec per curiam metropolitanam et patriarchalem ad ipsam curiam supremam romanam deveniatur.

Sed simplices curiæ diœcesanæ, quantavis nobilitate præstent, paucis constare solent officialibus et simplicissimam habent formam, siquidem consistunt

in officio illo cui præest vicarius generalis, quod propterea *vicariatus* dicitur. Ad summum, ubi distinctum est officium vicarii a munere officialis, vel ubi distinctum est munus vicarii diœcesani a munere vicarii provincialis, distinguitur in *vicariatum* et *officialatum*, etc.

Nec dissimilem habet formam ipsa romana curia in quantum diœcesana est. Ea enim consistit in vicariatum cui præest cardinalis vicarius, qui coadjuvatur in munere suo a prælato illo qui dicitur *vices gerens*, et duobus aliis officialibus primariis, qui dicuntur *locum tenentes*, alter *civilis*, alter *criminalis*, vicariatus. Habet etiam et *secretarium*, qui Romæ non habet officium valde dissimilem ab illo quod habet *cancellarius* in diœcesibus. Omnes isti coadjuvantur ministris secundariis, unde constat tum tribunal, tum secretaria vicariatus.

XXIX. Sed in quantum est curia ad universam reipublicæ christianæ curam, pluribus redundat negotiis. Post ulteriores modificationes inductas a Benedicto XIV, distinguitur in duas sectiones : *gratiæ* nempe et *justitiæ*.

Curia prouti dicitur gratiæ constat cancellaria apostolica, dataria, camera, pœnitentiaria et triplici secretaria, quæ nunc vocatur una *memoralium*, altera *brevium*, tertia *status*.

Curia autem justitiæ constat *sacra rota*, et *signatura* vel gratiæ vel justitiæ, seu prouti dicitur, *utraque signatura*.

Curia gratiæ. 1° *Cancellaria*, juxta veterem suam institutionem, præerat supplicibus libellis Romano Pontifici offerendis illisque expediendis. Illi præficiebatur quidam, qui dicebatur *cancellarius*, a cancellis quibus claudebatur hic officialis, quando suppli-

ces recipiebat libellos vel restituebat, ne nimia populi frequentia obrueretur. Hodie vero huic muneri præest secretaria memoralium, et officium potius est expedire negotia illa quæ in consistorio cardinalium definiuntur quæque per *viam bullarum* expediri solent. Illi præest cardinalis, qui tunc non cancellarius, sed *vicecancellarius* dicitur, isque coadjuvatur a pluribus prælatis seu clericis qui distinguuntur in duo collegia : de *parco majori*, qui XI abbreviatoribus constat, et de *parco minori*.

2° *Dataria* sic dicta a vocabulo infimæ latinitatis *data*, quia qui præficiebatur huic muneri apponebat manu sua datam seu diem quo gratia a Romano Pontifice concedebatur, qui propterea dictus est *datarius*. Officium datariæ est expedire negotia extrajudicialia, quæ extra consistorium a Romano Pontifice persolvuntur, ut sunt collationes beneficiorum, dispensationes, etc., hujusmodi quæ etiam per viam bullarum expediuntur. Illi præest cardinalis qui dicitur *prodatarius*.

3° *Camera* habet redditionem bonorum temporalium Ecclesiæ romanæ. Illi præerat olim archidiaconus, hodie vero cardinalis *camerlingus*, qui coadjuvatur ab *auditore cameræ* et duodecim clericis, etc. Auditor habet suum tribunal.

4° *Pœnitentiaria* instituta est pro expediendis gratiis pontificiis quæ interdum conscientiæ forum attingunt, quales sunt absolutiones a peccatis vel censuris reservatis, mutationes vel relaxationes votorum, aliorumque onerum, dispensationes impedimentorum quæ ex occultis criminibus nascuntur, etc. Illi præest cardinalis *pœnitentiarius major*, qui auctoritatem suam exercet tum in foro pœnitentiali, sive extra forum pœnitentiale, tum pro foro conscientiæ. Coadjuvatur in foro pœni-

tentiali a pœnitentiariis minoribus qui sunt in tribus patriarchalibus basilicis ad audiendas confessiones fidelium. Extra forum pœnitentiale coadjuvatur in *officiis majoribus* a procuratore, datario, correctore, sigillatore, tribus secretariis, pro-sigillatore et chartulario, quibus adjunguntur theologi et canonistæ ; in *officiis minoribus*, scriptoribus et distributore.

5° *Secretaria* est triplex : 1° *Memoralium*, recipit supplices libellos eosque principi offert et responsiones extendit et expedit. 2° *Brevium*, pro expediendis illis litteris Romani Pontificis quæ distinguuntur a bullis, et dicuntur *in forma brevium.* 3° *Status pro negotiis ecclesiasticis*, moderatur externum Ecclesiæ statum in ordine ad sæculi principes, et illius est ea determinare quæ aliquam quæstionem inter sacerdotium et imperium possunt importare.

Curia justitiæ constat : 1° sacra rota, de qua supra, et utraque signatura.

2° *Signatura justitiæ* est quoddam supremum tribunal in quo contentiosa, quæ ad justitiam administrandam spectant, expediuntur. Erectum ergo fuit ad decidendas quæstiones et controversias quæ oriuntur circa res ecclesiasticas atque etiam profanas, saltem in patrimonio Ecclesiæ temporali, quoad hos ultimos. Illi præest cardinalis *præfectus signaturæ*, qui coadjuvatur a pluribus prælatis, qui dicuntur *votantes signaturæ*, referendariis aliisque, ut locum tenentes civiles auditoris cameræ, et locum tenens civilis vicarii, non tamen ut suffragia ferant, sed ut jurisdictionem tueantur sui tribunalis.

3° *Signatura gratiæ* est tribunal ipsius Romani Pontificis in iis causis quarum decisio ex gratia Pontificis postulatur. Illi præest de se Romanus Pontifex, et adjuvatur pluribus cardinalibus et prælatis pro suo li-

bitu electis. Membra illius sunt major pœnitentiarius, præfectus signaturæ justitiæ, cardinalis vicarius, aliique cardinales quos elegit sanctus Pontifex, quique pauciores olim esse non solebant quam duodecim. Præter hos sunt etiam duodecim prælati, qui suffragium ferunt et *votantes* dicuntur, et sunt iidem qui votum habent in signatura justitiæ. Accedunt etiam alii.

DISSERTATIO II.

DE OFFICIIS CLERICORUM.

Clericorum officia dupliciter possunt considerari : vel officia singulorum clericorum propria quibus tenentur in specie ratione muneris specialis quo funguntur in Ecclesia, vel officia omnium clericorum propria vi status quo omnes in suo respective gradu participant. Sed primi generis investigatio, de officiis clericorum in specie, propria est tractationis specialis quæ nempe separatim considerat officia episcoporum, canonicorum, parochorum et aliorum munerum clericalium, ideoque commode potest maturioribus studiis reservari. Altera autem quum non consideret officia clericorum in quantum sunt officia singulorum, sed officia propria status clericalis in communi, ea propria est præsentis tractationis.

CAPUT PRIMUM.

DE OFFICIIS OMNIUM CLERICORUM PROPRIIS.

I. Sed et ipse status clericalis dupliciter accipitur : in genere, vel in specie. Ad primum spectant omnes christiani ab eo die quo per solemnem capillorum detonsionem et clericalis vestis impositione ab episcopo suscipiendis ordinibus initiantur. Ex eo enim die in

clericatum assumpti per illam cæremoniam quæ, sicuti ad ordinationem sacram refertur, ita illius perpetuitatem imitatur, clerici in perpetuum perseverant. Nec acquisitum clerici statum, nec acquisitam clerici qualitatem possunt amittere, nisi depositione aut degradatione. Atqui status dicitur permanens vivendi seu essendi conditio.

Sed hic status generaliter omnibus competens clericis, etiamsi fuerint tantum tonsurati, in specie confirmatur, et absolute perpetuus fit susceptione ordinum majorum. Unde per illorum receptionem mox statum assumere dicimur. Nam tametsi clerici, in minoribus tantum ordinibus constituti, habitu clerici semper remaneant, nec acquisitam clerici qualitatem possint libere exuere, tamen illis licet actu deserere vitam clericalem : quo tempore, jura, officia pleraque privilegia status clericalis pro ipsis suspenduntur, donec habitu clericali reassumpto, veluti ad suum statum reversi, antiqua jura, officia, privilegia recuperent.

Sed qui sacris et majoribus initiati sunt ordinibus, non possunt amplius ad sæcularia vota redire, sed *Deo cui servire regnare est*, sunt in perpetuum mancipati. Unde status clericalis in genere competens omnibus clericis, licet mere tonsurati fuerint, majorem acquirit soliditatem perpetuitatemque hac ordinum majorum susceptione, quo specialius fit status clericalis. Quare hanc dissertationem qua nobis consideranda proposuimus officia status clericalis, in duo capita dividemus :

1° De officiis propriis status clericalis in communi et in genere considerati ;

2° De officiis status clericalis propriis clericorum majorum.

ARTICULUS PRIMUS.

De officiis propriis status clericalis in communi.

II. Quemadmodum clerici in communi considerati laicis præcellunt quoad jura tum ordinis sacri, tum jurisdictionis, ita clericorum vita necesse est ut laica præcellat conversatione, ut sacris mysteriis venerationem obtineant. Quanto enim plus accepisse aliquis cernitur, ut aiebat sanctus Gregorius, tanto gravius inde judicatur. Unde Christus aiebat apostolis : Vos estis sal terræ ; quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et Paulus : In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum.

Et continua Ecclesiæ traditio, sacri canones, et novissime Tridentinum, sess. 22, de Reformatione, cap. 1°, ita describit clericorum officia : « Decet clericos in sortem Domini vocatos ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus nihil nisi grave, moderatum et religione plenum præ se ferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. »

Quapropter ex iis hæc possumus statuere tanquam principium generale dimetiendi officia clericorum : *vita clericalis omnibus afferre debet venerationem;* quo tanquam principio generali statuto, hæc sequuntur corollaria :

1° Omnia quæ absolutè requiruntur vel facienda vel vitanda ut vita clericalis omnibus afferat venerationem, ea comprehendunt specialia omnia officia clericorum.

Unde ex hoc generali corollario consequuntur plura officia in specie clericorum propria, alia quidem positiva, alia vero negativa.

Positiva : 1° idonea cultura tum scientifica, tum mo-

ralis, saltem sufficiens et debita, ut officia sui status adimpleat; 2° speciale orationis studium, specialis frequentia sacrorum mysteriorum; 3° exterior cultus ad modestiam compositus, ut habitu, gestu, incessu, sermone cunctis afferre possint venerationem.

Negativa autem sunt : ut sese abstineant ab iis omnibus unde hæc veneratio statui clericali debita periculum aliquod subire valeat, qualia sunt : 1° cohabitatio vel consuetudo cum mulieribus unde aliqua sinistra suspicio provenire possit; 2° negotiorum sæcularium gestio, negotiatio; 3° ludi, venationes, choreæ, spectacula, artes viles, et cætera hujusmodi quæ partim in sacris canonibus definita sunt, partim ex principio illo generali quod statuimus, facili veniunt deductione.

2° Alterum generale corollarium hoc est : quidquid absolute non requiritur ut vita clericalis omnibus afferat venerationem, sed magis vel minus huic fini respondeat, clericis non præcipitur, sed in via consilii vel suadetur vel dissuadetur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De officiis status clericalis propriis clericorum majorum.

Duo sunt quæ clericis incumbunt officia : officium divinum et cælibatus; quorum uterque, sive negative, seu abstrahendo clericos majores a carnis illecebris, sive positive, illos sublimioribus navandis mysteriis idoneos efficiunt.

§ I. DE OFFICIIS CLERICORUM MAJORUM QUOAD DIVINUM OFFICIUM.

III. Officium divinum est communis et uniformis precatio constans pluribus orationibus, psalmis, lectionibus et hymnis Domino, veluti quotidianum pensum exsolvendum quod primis Ecclesiæ temporibus

ab universa Ecclesia in unum conveniente persolvebatur ; unde etiam *synaxis* vel *collecta* dictum est.

Hujus celebrandi duo fuerunt primitus tempora destinata : aurora illucescens et vespera.

Unde alii conventus antelucani, alii vespertini dicti sunt. Sed vita monastica, quæ jam a tertio, quarto et sequentibus seculis in Ecclesiam introducta est, quippe quæ ex instituto tota versabatur in Domini contemplatione, in hujusmodi psallendi et orandi methodum toto incumbens studio, eam magis magisque perfecit et in varias horas distinxit, quæ *horæ canonicæ* dictæ sunt. Cœperunt monachi illam partem officii divini quæ ante solis lucem persolvebatur in duo tempora distinguere, ita ut una pars a media nocte, altera ab aurora persolveretur. Prima pars dicta est *nocturnum*, hodie vero vocatur *matutinum*. Altera pars dicta est *matutinum*, hodie vero *laudes*. Quia et nocturnum ipsum in tres partes distinctum, prouti rumpentes noctis vigilias, ad illas tres partes persolvendas assurgebant, inde est quod divini officii pars quæ dicta fuit nocturnum, in tria nocturna distincta est. Hæc apud Cassianum, qui etiam testatur primitivos monachos per diem alias statutas horas officii persolvendi non habuisse. Solum vespere iterum conveniebant ut officium vespertinum persolverent.

Sed in monasteriis Mesopotamiæ et Palestinæ cœperunt aliæ horæ canonicæ introduci, quæ nempe inter matutinas laudes et vesperas persolverentur : videlicet quædam officii divini pars persolvenda hora *tertia*, id est, circa horam nonam ante meridianam, altera ad *sextam*, seu circa meridiem, altera ad *nonam*, seu circa horam tertiam post meridiem. Inde præter matutinum, laudes, et vesperas, tres horæ canonicæ introduci cœperunt.

Sed monachis Bethlehemiticis, uti refert Cassianus, nimis longum visum est tempus quod post laudes persolutas decurrere deberet usque ad tertiam persolvendam, quin preces renovarentur apud Dominum. Ut ergo evitaretur ne monachi per hujusmodi intermedium tempus, otiosi et somniculosi in cellulis suis pigritarent, instituerunt ut etiam ad solis ortum, nempe hora *prima*, iterum ad laudes Domino persolvendas convenirent.

Demum placuit sancto Benedicto patriarchæ monachorum occidentalium et aliquid de suo huic præcandi methodo adjicere. Voluit ut monachi sui, diei operibus persolutis, ad solis occasum iterum convenirent et diurnas preces quodammodo complerent; unde ultima instituta est hora quæ dicta est *completorium*. Sed hæc non erant nisi instituta monastica, quæ pristinæ præcandi et psallendi methodo orationis studio cui erant addicti cœnobitæ, propria videbantur.

IV. Cum vero plures ex monachis assumpti sint in clerum, imo ad episcopatum promoti, cœperunt producere ad clericos sæculares et in suis cathedralibus ecclesiis instituere quod in monasterio didicissent ; imo et monastica instituta adeo placuerunt clericis sæcularibus ut, sæculo quinto, fere universi clerici communem vitam monachorum amplexi sint, seu vita canonicalis, regularis, generaliter a clericis recepta fuerit.

Inde nil facilius contingere potuit quam ordo hic distribuendi divinum officium primitus a monachis introductus a clericis omnibus reciperetur.

Sed erat divini officii persolutio res publica in ecclesiis, et communiter a clericis simul associatis explenda.

Erat nempe pars quædam illius ministerii quod ex ordinatione sua sortiebatur, quando unius ecclesiæ

servitio addicebatur. Propterea eo ipso quod clericus vi suæ ordinationis alicui ecclesiæ intitulabatur, per consequens obligabatur ad hujusmodi divinum officium pro gradu sibi competenti persolvendum.

Quod si ex aliqua circumstantia ab hujusmodi servitio ecclesiæ excusabatur, per consequens videtur et ab officio persolvendo excusatus fuisse. Quippe non concipiebatur tanquam oratio singulariter et privatim, sed communiter et publice in choro ab omnibus persolvenda. Accedit quod non aderat liber aliquis determinatus in quo officium quotidianum ex ordine recitandum describeretur, quem librum omnes potuissent sibi providere, sed pluribus libris distinctis clerici utebantur in choro : psalteriis pro psalmis, hymnariis pro hymnis, antiphonariis pro antiphonis, sacris bibliis vel homiliariis pro lectionibus. Nec aderat punctum determinatum quo lectio finiri deberet, sed ad nutum prælati, nempe antistitis chori præfecti, imponebatur lectori per verba *tu autem*, quibus ipse lector adjiciebat: *Domine*, *miserere nobis*, choro respondente *Deo gratias*.

V. Sed sæculo XII recedi cœpit ab ista disciplina. Quippe ordinarii cœperunt clericos ordinare respectu habito ad servitium speciale in aliqua ecclesia determinata præstandum, seu ut clericus sic ordinatus pro mandato episcopi ecclesiæ opportunitati vel necessitati deserviret. Unde obligatio illa divini persolvendi officii propria esse cœpit illorum clericorum tantum qui alicujus specialis ecclesiæ servitio fuissent mancipati, qui videlicet ad instar antiquæ disciplinæ beneficio ecclesiastico tantummodo gavisi essent. Cæteri enim clerici eo ipso quod non haberent determinatum officium in ecclesia præstandum, et a divino officio persolvendo erant immunes.

Sed hæc exemptio nonnullorum clericorum omnimoda a functionibus illis præstandis quibus cæteri clerici erant addicti, non clericali statui nec ecclesiæ bono prospiciebat; fovebat enim otium clericorum. Unde a sæculo XIII incipiunt concilia inculcare clericis, præsertim vero majoribus, ut si divinum officium associati cum cæteris in ecclesiis non celebrarent, saltem privatim exsolverent; et sæculo XIV, in concilio Basileensi, sess. 22, can. 5, posthabitis, prætermissis clericis in minoribus constitutis, inculcatum fuit ut clerici omnes in sacris constituti, vel per se vel cum aliis associati, divinum officium quotidie persolverent.

Quod quidem facile potuit effectum suum sortiri, quatenus jam a sæculo XI officium divinum, quod in pluribus distinctis voluminibus reperiebatur, et secundum prudentiam præfecti chori moderabatur, a Gregorio papa VII in unum volumen contrahi, quod *breviarium* dictum est. Quod quidem pro dirigendo officio compositum est, quod in sacello pontificio celebrabatur; dein, mandante Gregorio IX et approbante Nicolao III, omnibus Urbis ecclesiis propositum est; item a sequentibus Pontificibus varie modificatum est.

Disciplina hæc in ecclesiis Romæ introducta, etiam in aliis diœcesibus, episcoporum consilio, passim recepta fuit. Sed varii erant ecclesiarum mores tempore concilii Tridentini, quum et ipsum breviarium romanum ulteriorem emendationem postulare videbatur. Ut vero Patres dicti concilii providerent Ecclesiæ uniformitati et consonantiæ in hujusmodi horarum persolutione, sessione vigesima quinta, remiserunt ad R. P. ut breviarium corrigeretur, et sic omnibus proponeretur. Quod præstitit S. Pius papa V, constitutione *Quod a nobis*, etc. Quod opus Pii V, a Clemente VIII et Urbano VIII emendatum est, etc.

VI. Manserunt autem Græcis antiqui ritus quibus utebantur. Sed etiam apud eos, licet non adsit aliqua lex specialis quæ obliget clericos in sacris constitutos ad officium divinum persolvendum, tamen, ut habet Benedictus XIV, constitutione *Eo quamvis*, consuetudine inolitum est ut secundum proprios ritus, tum in ecclesiis parochialibus vel conventualibus, ii qui beneficium obtinent, privatim saltem officium divinum persolvant. Pro Græcis Italis vero qui in Calabria et Sicilia commorantur adest expressum Benedicti XIV præceptum (constitutione *Etsi pastoralis*) ut clerici in sacris constituti officium juxta suos ritus quotidie persolvant.

§ II. DE CÆLIBATU ECCLESIASTICO.

VII. Statum cælibatus matrimoniali perfectiorem esse extra controversiam est constitutum, ex Paulo, I Cor., VII. Porro status clericalis est status divino servitio mancipatus, divinis addictus mysteriis; ergo non potuit Ecclesiæ disciplina non videre summam et maximam relationem inter statum clericalem et cælibatum, nec potuit non urgere ut quanto altior et sublimior est ordinis gradus, quo magis divino servitio addictus, quo proximior divinis mysteriis, eo magis a matrimonio sit alienus.

Sed hæc prohibitio matrimonii clericis facta dupliciter potest considerari : vel in ordine ad contrahendum matrimonium, vel in ordine ad usum matrimonii jam contracti ; et cum sub utroque respectu eadem non fuerit disciplina Ecclesiæ, separatim rem considerabimus.

I. De cælibatu ecclesiastico in ordine ad contrahendum matrimonium.

VIII. Post susceptos ordines sacros et majores, reperimus universæ Ecclesiæ legem consuetudine forte

inductam, deinde scripto etiam jure confirmatam, quæ sive in latina sive in græca Ecclesia prohibet omnino matrimonium ineundum post sacrorum ordinum et majorum susceptionem. Et si præscindamus ab abusibus qui, medio ævo præsertim, hac in re inducti sunt, nullam reperimus huic legi legalem exceptionem nisi unam : illam quæ desumitur ex canone decimo concilii Ancyrani, qui refertur a Gratiano. (Can. *Diaconi*, VIII, dist. 27.) Permissum est diaconis post susceptionem sacri ordinis uxorem ducere, si in actu sacræ ordinationis protestati fuissent oportere se uxorem ducere et sic remanere non posse, et episcopus dederit assensum.

Sed præterquam quod hæc singularis exceptio regulam in contrarium existentem confirmabat, hodie etiam penes Græcos de medio sublata est omnino. Nam can. 6 concilii Trullani, qui refertur a Gratiano (Can. VII, dist. 28), absolute et sine ulla restrictione sancitum est ut presbyteri vel diaconi, si post ordines sacros uxorem duxerint, a sacro ordine deponendi sint; et Balsamon, Zonaras, Aristemius aliique græci interpretes sentiunt per hanc generalem præscriptionem synodi Trullanæ, quæ jus facit in tota orientali Ecclesia, exceptionem illam peremptam, sublatamque fuisse.

Unde possumus pro hodierna disciplina concludere quod lex generalis sit in tota Ecclesia recepta quod clericis in sacris constitutis matrimonium ineundum prohibeatur.

Sed licet hæc generalis exstet, non idem est apud Latinos et Orientales hujus prohibitionis effectus. Nam ad Latinos quod spectat, videtur hæc prohibitio nil aliud importasse nisi contracti matrimonii illicitudinem, non autem nullitatem, usque ad sæculum duodecimum; diaconus vel presbyter [qui matrimonium

contraxisset ab ordine sacro deponebatur, sed ab uxore accepta non dividebatur, ideoque sustinebatur tanquam validum initum matrimonium. At sæc. XII, a concilio Lateranensi primo, cujus decreta referuntur a Gratiano (Can. VIII, dist. 27), ordo sacer tanquam impedimentum dirimens habitum est, etc.

Sed apud Orientales hodiedum ambigitur an isthæc prohibitio ineundi matrimonium importet simpliciter actus illicitudinem vel etiam nullitatem. Licet enim generale adagium sit quod id quod contra legem fit, irritum sit præsumendum, tamen favorabilis est causa nuptiarum, adeo ut in ea hoc non utamus principio, et lex irritans non censetur, nisi irritans certo demonstretur. Et quidem pluribus placuit sententia (Benedictus XIV, const. *Eo quamvis*), quæ tenet matrimonium contractum post ordines sacros, in Ecclesia græca illicitum quidem, sed validum esse, licet dictus Pontifex insinuare videatur contrariam sententiam prouti quæ stylo sacrarum congregationum sit magis conformis, magisque innixa veritati; cui etiam sententiæ favet hoc argumentum quod jam a tempore Justiniani imperatoris (nov. 25) tales nuptiæ tanquam nefariæ traduntur, et filii ex illis nati illegitimi habentur, *juxta ea quæ sacris visa sunt canonibus*. Unde deducit jamdiu a tempore Justiniani imperatoris nuptias hujusmodi tanquam nullas et irritas habitas fuisse.

Verum hoc dubium quod adesse potest quoad græcos ministros, non viget pro Italo-Græcis, qui in Calabria et in Sicilia commorantur. Cum enim deceat eos qui in partibus nostris versantur, disciplinæ etiam nostræ magis esse conformes, ne vita ipsorum nostris scandalum pariat, tradit Benedictus XIV, const. *Etsi pastoralis*, § 7, quod si quis subdiaconus, diaconus, presbyter, post sacrum ordinem uxorem duxit, sit

deponendus et ab illegitima uxore separandus. Matrimonium enim post receptos ordines contractum nullum et irritum declaramus.

Si vero sit de minoribus ordinibus, amat Ecclesia etiam in eis cælibatum. Verum ad illum observandum non obligat. Nam excepto casu quo clerici hujusmodi in minoribus constituti fiant bigami et per hoc irregulares (in quo casu omnibus clericalibus privilegiis privantur), si matrimonium contrahant cum virgine, et tonsuram et habitum deferant clericalem, possunt ecclesiasticis mysteriis in aliqua ecclesia obeundis addici, quod quidem apud Græcos ordinarie fit, apud Latinos vero si omnino desint clerici cælibares, ut ait Tridentinum, sess. 23, cap. 6, de Reform. Quo in casu clerici, licet conjugati, omnia jura proprii status retinent apud Græcos; apud Latinos vero, licet pluribus juribus et privilegiis privati sint, ipso facto quo matrimonium contrahant, adhuc tamen aliqua privilegia retinent, v. g. privilegium fori in causis criminalibus.

II. De cælibatu ecclesiastico in ordine ad usum matrimonii jam contracti ante susceptionem sacrorum ordinum.

IX. Ex interdictione nuptiarum pro clericis, non sequitur in clericatum non fuisse admissos conjugatos. Imo et Paulus ad Tim., c. 3, v. 2-12, de diaconis et presbyteris loquens, dicit eos oportere esse unius uxoris viros; non quidem quatenus requireretur positiva qualitas conjugii ad hoc ut christianus hos ad ordines promoveretur, sed quatenus, remotis bigamis a sacra ordinatione propter quamdam incontinentiæ notam quam contraxerunt, Ecclesia, præsertim primis illis temporibus, quum virgines vel cælibes clericos facile non inveniebat, a sacra ordinatione conjugatos non arcebat.

Hæc cum ita sint, oritur naturaliter quæstio an si conjugatos Ecclesia receperit, et eis conjugii legitimi usum concesserit? Si pristina disciplinæ nostræ monumenta hac in re placet remeare, videntur clerici majores saltem, vix ac essent ordinati, se ab uxoribus separasse, vel communem cum ipsis retinentes cohabitationem, in separato tamen conclavi, conjugale thori commercium cum uxoribus suis nullum habuisse; sed episcopis, presbyteris vel diaconis nuptas religiosum suscepisse habitum, de nomine gradus viri sui dictas episcopas, presbyteras vel diaconas, et ita cælibes mansisse ut siquidem mortuo etiam viro alteri si attentassent nubere, ab illo non sine pœnitentia separari. (*V.* Pontium, de antiquitatibus juris canonici, et Thomassinum, de veteri et nova Ecclesiæ disciplina.)

Sed sequentibus sæculis aliqua apparet diversitas hac in re inter orientalem et occidentalem Ecclesiam. Nam videmus occidentalem seu latinam Ecclesiam cælibatus servandi tenacissimam, adeo ut non tantum initarum nuptiarum usum majoribus clericis interdixerit, sed ad omne periculum tollendum, nec ad sacros ordines voluerit amplius recipere conjugatos, nisi aut illorum uxores votum perpetuæ castitatis coram episcopo emisissent, aut si a quavis incontinentiæ suspicione non essent immunes, in monasterium in perpetuum recluderentur. Hodie generatim Ecclesia latina non nisi sub hac conditione conjugatos vel ad minores vel ad majores ordines suscipiendos admittit. Hujus disciplinæ argumenta habemus cap. 1, *De clericis conjugatis*, etc.

X. Sed non ita penes Orientales sive id tribuendum sit bellis et hæresibus quæ Orientis regiones primis Ecclesiæ sæculis devastarunt (in bello silent leges et obrepunt abusus), vel proclivitati quam Græci semper

habuerunt ad schisma, cum minus sentire potuerunt influxum generalis disciplinæ ecclesiasticæ, ardentiori indoli orientalium ad libidinem magis proruenti, vel aliis causis. Sic factum est quod usus initarum nuptiarum quæ in occidentali Ecclesia clericis mansit interdictus, apud eos invaluerit.

Unde jam tunc a tempore concilii Nicæni, res in eo erat ut Patres generali et stricta lege prohibere cum vellent clericis usum nuptiarum, obstaculum fuit ex parte Orientalium, ne videlicet hac tanta prohibitione ministrorum penuria consequeretur, siquidem cælibes et virgines non facile inveniebantur qui ministeriis hujusmodi præsto essent.

Inde a puriori illa disciplina quæ viguit primis Ecclesiæ sæculis, recessere Græci novaque in concilio Trullano scripta etiam lege apud eos declivior eorum disciplina confirmata est. Tamen interdicitur omnino episcopis usus nuptiarum: quo fit ut episcopi in Ecclesia græca ex monachis qui cælibatum servant, assumantur, cum facile de clero sæculari non inveniantur qui velint pro suscipiendo illo gradu ab uxore abstinere: quo fit ut monachismus sibi comparaverit exclusive fiduciam populorum, et sit de facto verus Ecclesiæ orientalis clerus, tanta sit necessitas cælibatus ecclesiastici!

Quod vero spectat ad præsbyteros et diaconos (qui soli majores clerici reputantur apud Græcos), illis permittit concilium Trullanum usus nuptiarum ante ordinem initarum. Unde solent in minoribus constituti uxorem ducere antequam ad majores ascendant.

Morem hunc Ecclesia latina non laudat: tolerat tantum ob pacem servandam. Solum exigit ut præsbyteri græci per integram hebdomadam vel saltem per triduum ab uxore abstineant, quum ad corpus

Domini offerendum accessuri sint, ut patet ex constitutione *Eo quivis*, etc.

XI. Ex his sequentia principia deducere possumus :

1° Amat et cupit Ecclesia cœlibatum omnium clericorum, aut vero jubet et exigit pro ordinibus majoribus, quippe nobiliora obtinet ministeria, et in his clericalis status confirmatur.

2° Hic cœlibatus si consideratur in ordine ad matrimonium contrahendum, illud prohibet tam in græca quam in latina. Sive enim latinis, sive græcis clericis majoribus ineundum matrimonium interdicitur. Sola hæc est differentia, quod hæc prohibitio sit impedimentum irritans in Ecclesia occidentali, in qua ordo sacer impedimentum constituit tam impediens, tam dirimens matrimonium; de hac autem vi irritanti apud Græcos dubitatur.

3° Si cœlibatus hic consideratur in ordine ad usum matrimonii, eadem est quam latinæ quam græcæ Ecclesiæ disciplina quoad supremum hierarchiæ gradum, nempe episcopatum. Varietas autem est circa usum nuptiarum præsbyteris aliisque majoribus clericis permittendum. In Ecclesia latina, omnibus clericis majoribus, nuptiarum, etiam ante celebratarum, usus omnino interdicitur; permittitur autem penes Græcos, dummodo ab eo abstineant saltem quando ad sacra mysteria debent accedere.

TITULUS II.

DE STATU LAICALI.

I. Status laicalis, sicuti est relativus statui clericali (status enim clericalis magistratus dicit, populum vero laicalis), ita jura et officia status laicalis, per oppositionem jurium et officiorum status clericalis, facile deter-

minantur. Est enim populi officium ut potestatibus sublimioribus subditus sit; est vero populi jus ut a suis magistratibus provide et recte gubernetur. Præsunt autem clerici tum ordinis ministerio, tum jurisdictionis imperio; ergo laicorum jus est in Ecclesia ut sive sacramentorum ministerio sanctificentur, sive jurisdictionis imperio gubernentur.

Sed quemadmodum intra eumdem statum clericalem varii sunt clericorum gradus, ita et intra statum laicalem varii sunt laicorum ordines; et sicuti clericorum tum singulariter, tum collegialiter sumptorum, ita et laicorum status consideratur. Ordine igitur analogo hunc titulum in duo capita dividemus, quorum primum de juribus quæ laicis singillatim sumptis competunt, alterum de variis classibus laicalium collegiorum.

CAPUT PRIMUM.

DE JURIBUS QUÆ LAICIS SINGILLATIM SUMPTIS COMPETUNT.

Si jura et officia pensitemus quæ laicali conveniunt cœtui, ea videntur ad duo generalia capita revocari posse: in laicali statu sunt communia et generalia, deinde specialia et singularia. Unde hæc prima dissertatio, qua inquirendos proposuimus diversos ordines laicorum singillatim sumptorum, in duos dividitur articulos: in priori, agemus de distinctionibus inter laicos quæ oriuntur ex juribus laicali statui in communi competentibus; in posteriori, de distinctionibus laicorum quæ oriuntur ex juribus quæ competunt singulis laicis.

ARTICULUS PRIMUS.

De distinctionibus inter laicos ratione jurium ipsi statui in communi competentium.

II. Generaliores laicorum distinctiones vel ex jure positivo divino, vel ex jure naturali et gentium, ab Ecclesia recepto, vel ex jure positivo ecclesiastico oriuntur. Generalis laicorum distinctio, jure positivo divino inducta, ea est quæ resultat ex baptismate et confirmatione, sacramentis laicali communioni competentibus. Perfectior est status confirmatorum quam simpliciter baptizatorum. Propterea quædam jura, quædam officia competunt confirmatis, quorum simpliciter baptizati non sunt participes. Sic in statu civili distinguimus milites a paganis; sic in statu naturæ distinguimus viros ab infantibus, fortiores et robustiores a debilioribus et infirmis.

Plures resultant distinctiones laicorum ex jure naturali et gentium, quod Ecclesia utpote divinum recepit, imo mendis expurgatum quibus hominum vitia corruperant, in finem supernaturalem restauravit.

Sic, 1° jure naturali distinguitur sexus, siquidem alter est virorum, alter feminarum status. Sicut uterque sexus a justitia exciderat, ita uterque redemptione Christi est reparatus. Uterque proinde in Ecclesiam admittitur, sed ita ut naturalis superioritas viri servetur, siquidem vir caput mulieris est, non mulier caput viri. Quare sive viri, sive feminæ acquirere possunt laicalem conditionem in Ecclesia; sed viri optare possunt clericatum, quem non feminæ. Unde christianorum virorum status, coram ecclesiastico jure, femineo laicali statu perfectior est.

2° Plures distinctiones jure naturæ inductæ sunt,

conjugiorum causa, siquidem matrimonii ratione homines considerati alii cælibes sunt, alii conjugati. Conjugium vero et ipsum semen fuit et origo plurium diversarum relationum socialium, nempe viri ad uxorem, uxoris ad virum, parentum in liberos, liberorum in parentes. Hæ naturales distinctiones vel relationes hominum, quantum fuerint naturæ vitio degradatæ, omnes sciunt; siquidem cælibatus retentus fuit in imperio romano, — quod tamen præ cæteris gentibus majorem civilitatem jactabat, — tanquam ad libidinem magis accommodatus. Inde eo usque processit vitium ut debuerint leges præmia pro liberorum procreatione civibus proponere.

Naturalis superioritas patris in liberos, viri in uxorem, quod omnes noverunt, in tyrannicum jus evaserat, ita ut uxor et liberi tanquam res habiti sint omni personalitate carentes. Nulla conjugum jura reciproca, etc.

Sed hæ distinctiones erant naturales. Per influxum autem gratiæ Dei, cujus est non destruere sed perficere naturam, has omnes relationes jure ecclesiastico ita receptæ sunt ut in suam primævam formam restaurarentur, et in finem æternæ salutis reviviscere possent. Utrumque statum, sive cælibatus, sive conjugii, recepit Ecclesia; utrumque asseruit tanquam optimum pro diversa vocatione, sed cælibatum perfectiorem in genere, quia liberius divinæ contemplationi vacare potest; conjugium vero necessarium ut societas, imo ipsa Ecclesia ex parte naturali propagaretur.

3° Alia distinctio jure naturali et gentium inter homines orta est ex servitute, quæ quidem ex naturali inæqualitate facultatum et dominiorum orta est. Sed quantum vitio hominum fuerit corrupta, scimus, siquidem servi tanquam res domini considerabantur, ita ut

naturali sua personalitate essent spoliati. Relatio autem erat naturalis; propterea non potuit tolli ab Ecclesia, imo in Ecclesia recepta, ipsaque Ecclesia servos suos habuit. Sed ut vitium tolleretur quod per humanam corruptionem irrepserat, summa prudentia cœpit Ecclesia ex una parte servis injungere obedientiam erga dominos suos; ex alia vero prædicare principia communis originis omnium hominum ab uno Ada, communis reparationis omnium hominum in Christo, communis directionis et reparationis omnium hominum in finem æternæ beatitudinis. Quo factum est ut mentes his principiis imbutæ debuerint sensim relaxare immanem illam servitutem quæ sub imperio romano viguit, donec Ecclesia eam voluit omnino abolere, reducta servitute in suam primitivam formam, id est, in puram servitiorum locationem.

4° Item ex jure gentium est orta distinctio inter principem et populum, inter magistratus et cives, etc. Hanc etiam debuit recipere Ecclesia, et omnes, sive principes, sive subditos, tanquam filios suos æquanimiter suscipere, sublatis tantum vitiis quæ huic relationi accesserant. Inculcato ab Ecclesia principio quod omnis potestas est a Deo, quod omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, non tantum propter timorem, sed et propter conscientiam, consequens erat ut mansuescerent principes, sese recognoscendo tanquam simplices Dei mandatarios, populi venerarentur in principe imaginem et ministerium Dei, utrique vero optime scientes sese Deo in finali judicio rationem esse redditturos.

III. Aliæ tandem relationes ortæ sunt ex jure positivo ecclesiastico. Cum enim Ecclesia pro suo systemate pœnali, per pœnas, censuram aut pœnitentiam, jura laicali conditioni competentia vel in re imminuit,

vel quoad exercitium suspendit, effecit ut inter christianos reperiretur aliquis status inferior ipso generali statu laicali, nempe eorum qui ob sibi inflictam pœnam, censuramve aut pœnitentiam, illis juribus uti non possent conditioni laicali propriis. Cujus rei exemplum luculentissimum habemus in publicæ pœnitentiæ disciplina, siquidem pœnitentes sic vocati vel in Ecclesia non habebant accessum, vel in quemdam locum inferiorem redigebantur, vel ab Ecclesia ipsa, tempore divinorum mysteriorum, expellebantur, ita ut de juribus laicalibus perfecte participare non possent, et christiani fere in eamdem redigebantur conditionem, ac cathecumeni in Ecclesiam nondum admissi.

Hæc de communioribus inter laicos distinctionibus; singularia vero jura *singularesque prærogativæ quæ laicis competunt,* sunt : 1° jus advocatiæ; 2° jus patronatus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De jure advocatiæ.

IV. Cum maximum politicæ societatis bonum, maximumque præsidium sit custodia religionis, vix ac imperatores christiani facti sunt, non potuerunt non profiteri maximum studium juvandæ religionis. Unde inter cætera jura majestatis hoc habuerunt carissimum jus tuendi Ecclesiam : quod jus sequiori ævo *advocatiæ jus* dictum est; nec Ecclesia respuit hunc principum zelum, et excepto casu quo tum in inferiorum subversione, tum ob alias politicas vicissitudines debuit alios defensores, alios advocatos sibi extra ordinem comparare, tanquam advocatos suos ordinarios et, ut ita dicam, natos, christianos habuit principes.

Nec principes male meriti sunt de tanta Ecclesiæ

confidentia. Nam tum per suos ordinarios administros, nempe magistratus, tum per extraordinarios defensores ecclesiarum a se deputatos, summo studio Ecclesiæ curam prosecuti sunt.

Sed postquam principum animos invasit cupiditas jurium ecclesiasticorum, postquam Ecclesiam non amplius tanquam matrem venerari, sed illam timere cœperunt tanquam æmulam, facile sub advocatiæ et defensionis larva hostis animum occultarunt, et prætextu protegendi jura ecclesiastica, eo sibi arripere et Ecclesiæ auferre libertatem.

Quin non defuerunt theologi jansenistæ, qui, ut principum animos sibi compararent, proponere cœperunt theoriam de juribus majestaticis in societate, qua, confundentes defensionem cum jurisdictione ecclesiastica, docere cœperunt connaturale esse regiæ majestatis jus ea moderandi quæ ad religionem proprii status pertinebant, et eo usque processit audacia ut si quid admitteretur in Ecclesia auctoritatis, eam a principe dicerent delegatam fuisse. Quæstiones quæ hac de re factæ sunt, ad duo puncta revocari possunt : 1° ad principium ex quo hoc jus originem habuerit; 2° ad limites quibus coarctatur ; quod et separatim pertentandum est.

1. De hujus juris origine.

V. Proponitur quæstio : an illud ex jure naturali vel ecclesiastico repetendum sit? An jure ecclesiastico tantum recognitum fuerit, vel ex delegatione juris ecclesiastici primitus institutum? Hac in controversia, distinguendum est inter extraordinarios defensores et advocatos quos pro emergentibus cicumstantiis ad jurium suorum defensionem Ecclesia instituit, ab or-

dinariis defensoribus et advocatis suis quos Ecclesia agnovit in principum majestate.

Si sermo sit de advocatis primi generis, quos extraordinarios dixi, quorum exempla habemus plurima VI° et VII° sæculo, quum res romani imperii in pessimum ibat, vel sequentibus sæculis ob politicas vicissitudines quæ Europam turbarunt, eos sine dubio jure ecclesiastico dicam fuisse institutos tanquam advocatos et defensores Ecclesiæ, nec in hoc ulla potest esse dubitatio. Erant hi ut plurimum privatæ personæ, aliquando etiam familiæ magnatum et optimatum, quibus Ecclesiæ committebant rerum suarum defensionem.

VI. Sed si sermo sit de ordinariis defensoribus et advocatis, quales agniti sunt jure ecclesiastico imperatores christiani, aliqua potest esse difficultas : an hoc jus defendendi Ecclesiam ipsi habuerint connaturale majestati ? vel ex Ecclesiæ deputatione primum obtinuerit? Et quidem pluribus placuit asserere hoc jus unice ex delegatione Ecclesiæ acquisitum fuisse. Quidquid juris potuerint habere principes in negotio religionis aut defensione Ecclesiæ, id erat omnino conditionatum, quatenus non aderat aliqua auctoritas peculiaris a Deo instituta quæ hoc munus haberet.

Ablata conditione sub qua illud habebant, et ipsum jus corruit. Unde non nisi ex delegatione ecclesiastica profluere potuit.

Sed huic sententiæ non subscribendum est. Cum maximum civilis societatis bonum religio sit, nullo pacto suscipi potuit principis majestas tanquam indifferens quoad populi religionem sive ante, sive post Ecclesiæ fundationem consideretur. Propterea jus prospiciendi religioni proprii status non conditionatum

sed absolutum est. Post institutionem autem Ecclesiæ non idem prorsus jus habere potuit quam ante. Latissimum ante institutionem Ecclesiæ : dummodo cultus a Deo præscriptus talis esset qui divinis attributis conveniens erat, cætera omnia quæ ad disciplinam pertinent, forte potuisset sua sancire auctoritate. Sed postquam a Deo positiva quædam religio instituta universalis per orbem ad instar reipublicæ fundata est, propria gaudens auctoritate, objectum hujus juris majestatici ad id determinatum est ut jus illud non possit amplius exerceri nisi recipiendo, conservando, protegendo hanc ipsam divinam institutionem. Et (siquidem divina requirit institutio ut omnino αὐτόνομα sit et independens) non potest melius hoc jus exercere quam procurando omnimodam Ecclesiæ libertatem ; ideo resolvitur in officium sequendi religionem illam a Deo institutam, non tamen tanquam singularis persona, sed etiam sicuti princeps, procurando ut a suis subditis recipiatur et custodietur. Hæc de origine hujus juris.

II. De limitibus juris advocatiæ.

VII. Principium generale : jus advocatiæ nihil aliud est nisi jus defendendi, tuendi Ecclesiam ; unde hæc sequuntur corollaria :

1° Est aliquid Ecclesiæ extrinsecum quod Ecclesiam jam in suo esse constitutam supponit ; de defensionis natura est ut supponat id quod sub defensione cadit. Ad hoc exprimendum usi sunt veteres nomine *episcopi externi*, quo principes christiani aliquando condecorati sunt, ut explicaretur illorum officium non dirigi ad internam Ecclesiæ administrationem, sed tantum ad hoc ut exterius Ecclesia a contrariis incursibus defenderetur.

2° Jus advocatiæ non est jurisdictio ecclesiastica, siquidem ista cum omnibus Ecclesiæ juribus supponi debet ut possit in suo exercitio tueri ; sed potius est functio quædam civilis coordinata ad defensionem jurisdictionis ecclesiasticæ, quo spectat nomen illud quo aliquando hoc jus appellari solet, *brachium seculare*, scilicet ut exprimat concurrere tanquam instrumentum quod ab ecclesiastica auctoritate tanquam capite dirigatur. Quare hoc jus Ecclesiam non determinat, sed ab Ecclesia determinatur : Ecclesiam non dirigit, sed subservit Ecclesiæ ; et apprime Fenelonius archiepiscopus Cameracensis, in oratione habita in consecratione electoris Coloniensis, comparat principem, tanquam advocatum Ecclesiæ, militi qui excubias agit extra portam templi, cavet ne ingrediatur, etc.

3° Posito quod hoc advocatiæ jus nihil aliud sit nisi coordinandi media civilia et temporalia ad defensionem jurisdictionis ecclesiasticæ, jam patet quod exercitium ejus potest sub duplici temporis adjuncto considerari : vel antequam jurisdictio ecclesiastica aliquid decernat, vel postquam aliquid decrevit. Si ex primo casu, illius est advigilare ut jurisdictio ecclesiastica plenissima gaudeat libertate, ne videlicet ullo obstaculo præpediatur. Propterea illius est mediis præventivis hæc obstacula removere. Si in altera hypothesi, nullo alio modo potest eam defendere nisi procurando mediis civilibus ut Ecclesiæ dictis pareatur. Unde laudatus archiepiscopus ad duo hæc officia hoc advocatiæ jus reducit : 1° ut ab externis hostibus Ecclesiam defendat, ut omni libertate possit ista definire quid rei suæ censeat opportunum esse ; 2° ut mediis civilibus procuret ut Ecclesiæ definitionibus ab omnibus obediatur.

4° Sed licet hoc jus non sit jurisdictio ecclesiastica,

sed simplex jus coordinandi media civilia pro defensione hujus jurisdictionis, tamen in confesso est quod ecclesiasticæ jurisdictioni aliquantisper accedat, in quantum nempe importat aliquam potestatem activam in negotiis ecclesiasticis quæ propria non est communis conditionis laicorum; qua affinitate fit ut facilius pro Ecclesiæ advocatis accedat mandatum quo possint aliquam jurisdictionem ecclesiasticam exercere, quæ non soleat accedere cæterorum laicorum conditioni in Ecclesia.

Quare contingere potest ut ex Ecclesiæ mandato tum expresso, tum tacito, tum præsumpto, huic juri aliqua ecclesiastica jurisdictio demandetur. Sed, 1° hoc mandatum non facile præsumendum est, sed 2° juxta tendentias quas demonstrat advocatus Ecclesiæ erga Ecclesiam ipsam. Porro si ejusmodi tendentiæ omnino hostiles videantur, cessat quodlibet præsumptionis fundamentum. Quod si vero Ecclesia ipsa gestionem sui advocatus condemnaret, tunc quælibet præsumptio mandati omnino destruetur.

ARTICULUS TERTIUS.

De jure patronatus.

VIII. Hoc jus verbo tenus a jure advocatiæ non distinguitur, siquidem patronus idem est ac advocatus, si vocis spectatur significatio. Sed cum usu ecclesiastico invaluerit ut patronorum nomine significaretur ecclesiarum fundatores, ac proinde nomine patronatus veniat jus quod fundatoribus conceditur in ecclesias suæ fundationis, inde est quod de jure patronatus aliqua in specie dicenda sunt.

Ecclesia jam a primis sæculis, sive ut gratum exhi-

beret animum piis fundatoribus, ut aliorum liberalitatem magis provocaret, pluribus honoribus commodisque afficit eos qui ære suo locum ædificarent christiano cultui dedicatum.

Honores in eo potissimum consistebant ut 1° liceret fundatori nomen suum ecclesiæ inscribere : illud ecclesia tantum sumebat. Sic ecclesiæ dicebantur vel Eudoxiæ, vel Damasi, etc., prouti ab Eudoxia, vel Damaso, etc., erant erectæ, eorumque nomen in facie portarent. Mox inducto usu stemmatum gentilitiorum, huic inscriptioni nominis stemma familiare successit, tum utrumque etiam, ut indicaretur sive antiquum illius rei dominium, sive præsens tutela quam loci sacri fundator haberet.

2° Competebat etiam patronis jus præsentationis seu postulationis, præ cæteris omnibus laicis, in ecclesia quam de ære suo fundasset; quod jus plura specialia comprehendebat, secundum divinas functiones in ordine ad quæ hæc postulatio considerabatur. Sic *honor precum*, quo videlicet singulariter et nominatim preces in ecclesia funderentur pro fundatore ; *honor thurificationis* vel *aspersionis*, quo speciali modo præ cæteris laicis thurificationem vel aspersionem reciperet fundator; *honor sedis*, quo distinctum locum haberet in ecclesia suæ fundationis ; *honor tumuli*, quo sepulcrum speciale et distinctum a cæteris laicis in hac ipsa ecclesia excavare possit; *honor candelæ* et cæterorum omnium sacramentalium, quando hæc in ecclesia dispensarentur, etc.

Sed 3° loco, honor præcipuus in eo erat ut pio fundatori seu patrono liceret præsentare seu præsentem sistere, offerre, commendare episcopo personam quam cuperet præfici sacris ministeriis abeundis in loco suæ fundationis. Quæ quidem præsentatio, licet de se

non esset nisi quædam commendatio, tamen cum episcopi gratitudinis soliti erant patronis morem gerere, ipsorumque admittere commendationem nisi aliquid obstaret, facile evasit ut hæc præsentatio tanti ponderis haberetur ut non liceret episcopo eam recusare; sed deberet in sacris officiis instituere personam a patrono præsentatam, nisi ea incapax demonstraretur.

IX. His honoribus pro laica conditione præstantissimis, hæc accesserunt commoda quibus etiam ecclesiarum fundatores cohonestati sunt. Hæc ad duo reducuntur capita: 1° ad jus imponendi census pecuniarios ab ecclesia præstandos sive fundatori ipsi, sive aliis ab eo nominatis in tabulis fundationis; 2° jus recipiendi alimenta de bonis ecclesiæ propriæ fundationis, siquidem ipse fundator aut uxor aut filii ad inopiam vergerent.

His honoribus et commodis pauca onera respondebant: 1° onus vigilantiæ super administrationem bonorum ecclesiæ a se fundatæ, nempe ut administratio fieret juxta leges fundationis; quo jure deberet patronus episcopo referre, si aliquid non recte administrari cognovisset; 2° onus defendendi ecclesiam ab oppressione potentium; 3° onus reparandi, restaurandi, reædificandi ecclesiam, siquidem vetustate aut alia de causa collaberetur.

Ex hisce omnibus honoribus, commodis, oneribus coaluit quoddam jus positivum ab Ecclesia repensum, veluti præ gratitudine fundatoribus ædium sacrarum, quod jus patronatus dictum est.

Sed hoc jus, quod, origine sua inspecta, erat jus singulare institutum pro fundatoribus ædium sacrarum, sensim ad alios etiam perductum est : nempe juris analogia effecit ut hoc jus competens fundatori in or-

dine ad ædem sacram, competeret fundatori qui non modo ædem sacram, sed alium locum vel pium, verbi gratia hospitalem domum, vel religiosam, ut monasterium vel aliquod officium de ære suo erexisset. Imo hoc jus non tantum datum est ei qui de ære suo locum illum instituisset, sed etiam ei qui magna ex parte gravibus impensis ad locum vel officium illud instituendum vel reparandum concurrisset.

Quin non habitum est hoc jus adeo personale ut cum persona pii fundatoris expirasset, sed prouti ob ecclesiæ fundationem aliquam imminutionem pecuniæ tota familia fundatoris subierat, ita et jus hoc fundatori primitus concessum, tanquam perpetuum fieri cœpit, quod nempe in alios sive jure generalis sive specialis successionis in successores transfunderetur.

Ex quibus omnibus sic potest hoc jus describi : Est jus patronatus *jus singulare ab Ecclesia benigne concessum iis qui fundaverunt vel restauraverunt loca sacra, pia, religiosa, aut ecclesiastica officia seu beneficia, eorumque legitimis successoribus, consistens in certis honoribus, commodis et oneribus in ordine ad locum vel officium quod ex ipsorum liberalitate habetur.*

X. Qua posita rei notione, sequentia theoremata de ipsius hujusce juris limitibus sequi videntur :

1° Jus patronatus ex ecclesiæ institutione omnino descendit; quæ institutio seu concessio non innititur stricto et rigoroso juri, sed simpliciter gratitudini et benignitati Ecclesiæ, quæ hoc modo cohonestare voluit liberalitatem eorum qui ære suo propriis impensis, Ecclesiæ benefecissent.

2° Hoc jus non est ecclesiastica jurisdictio ex una parte, nec est simplex jus advocatiæ ex altera parte : non primum quia patrono nullum jus administrandi vel gubernandi Ecclesiam spectat; nec alterum, siqui-

dem præter jus defendendi, alia plura sive honorifica, sive utilia, sive onerosa, importat. Ex quibus omnibus juribus vel honorificis, vel commodis, vel onerosis, illud præstantissimum est quod possint præsentare personam clerici qui in officio sacro ab episcopo instituatur, siquidem hoc præ cæteris omnibus proximius accedit Ecclesiæ jurisdictioni, et indirecte importare videtur aliquam partem administrationis Ecclesiæ : quo fit ut passim auctores jus patronatus definiant : jus præsentandi clericum ad beneficium vacans, rem definiendo per id quod cæteris præstantius est.

3° Hoc jus, licet ab Ecclesiæ gratitudine oriatur, tamen in quantum importat consequenter aliquam limitationem libertati Ecclesiæ, inde odiosum est in jure, nec facile præsumitur, nisi constet; etiamsi de eo constet, est strictæ interpretationis, præsumptionem sibi contrariam in jure habens.

CAPUT II.

DE VARIIS LAICALIBUS COLLEGIIS IN ECCLESIA.

I. Sicut ecclesiastica jurisdictio clericis vel seorsim vel collegiatim sumptis competit, ita et jura laicæ conditionis laicis tum singillatim tum collegialiter sumptis tribuuntur. Postquam igitur locuti sumus de juribus quæ laicis singillatim spectatis competunt, pronum est ut de laicalibus loquamur collegiis.

Laicalia collegia in tres generales categorias possunt distingui, quarum *prima* comprehendit omnia laicorum collegia, quæ tanquam greges pastori suo vel tanquam plebes principi ecclesiastico adhærent. *Altera* categoria comprehendit partialia collegia laicorum in aliqua ecclesia vel capella canonice instituta, ut pietatis operibus singulari modo sese exerceant.

Tertia categoria comprehendit alia collegia laicorum instituta ut alicujus peculii ecclesiastici in ecclesiarum fabricas impendendi administrationem habeant. De his tribus categoriis collegiorum laicalium deque ipsorum differentia et relatione vel analogia quam habent ad collegia clericorum, aliqua dicemus.

II. Prima categoria omnino analoga et relativa est gradibus in quos distinguitur pastoralis jurisdictio in Ecclesia. Cum enim istæ societates laicales concipiantur ad instar gregum in ordine ad pastores suos, ad instar plebium in ordine ad suos principes spirituales, inde est quod eadem ratione qua plures sunt gradus pastoralis sollicitudinis in Ecclesia, — incipiendo a Pont. Summo usque ad infimum parochum, a synodo œcumenica usque ad synodum diœcesanam,— tot sint laicorum consortia, tanquam greges vel plebes his auctoritatis ecclesiasticæ gradibus gubernata.

Hujus generis collegia maximam habent similitudinem cum collegiis illis clericalibus quæ diximus ordinis pastoralis seu legislativi. Prout enim clericalium proprium est repræsentare universam Ecclesiam docentem, regentem, gubernantem, generalemve aut partialem, ita hæc laicorum collegia repræsentant Ecclesiam discentem, rectam subditamque, tum generalem tum partialem. Sola differentia inter clericalia et laicalia, illa est quæ exsurgit ex status differentia : clerici enim conveniunt tanquam rectores et pastores, ut judicent ac decernant; laici vero ut clericorum ministerio subdantur, magisterio et imperio obsequantur.

III. Secunda collegiorum laicalium categoria non adeo antiquæ et connaturalis institutionis est uti prima. Sensim in Ecclesiam introducta, maximum incrementum eo præsertim ex tempore habuit quo corruit pristina pœnitentiæ disciplina. Ad fovendum illud

pietatis et pœnitentiæ studium quod per rigorem pœnitentiæ publicæ obtinebatur in Ecclesia, quasdam peculiares societates inierunt laici ut pietatis et pœnitentiæ operibus speciali modo addicerentur. Hæc consortia laicalia canonice et frequenter, imo plerumque sub invocatione alicujus sancti instituta sunt, ea mente ut confratres vel consorores pietatis, caritatis, pœnitentiæque exercitiis sese addicant. Vulgo *confratriæ* seu *sodalitia* solent vocari.

Horum sodalitiorum species pene infinitæ sunt pro genio multiformis pietatis et caritatis in Ecclesia ferventis et pro temporum circumstantiis, quæ unum aut aliud institutum visæ sunt postulare. Discriminantur propterea ratione *finis* specialis ob quem instituuntur; v. g. ad promovendum cultum Sanctissimi Sacramenti, ad promovendam devotionem rosarii, ad recipiendos peregrinos, etc.;—ratione *loci*, ecclesiæ vel capellæ in qua sunt instituta;—ratione *subjectorum* quibus coalescunt, aliquando unius vel utriusque sexus, etc.; — ratione *antiquitatis*,—ratione privilegiorum, potissimumque *indulgentiarum*, quibus gaudent; ita ut impossibile fere sit hæc omnia ad unam certamque regulam referre.

Sed inter omnia, illa emicant potissimum collegia, ex viris coalescentia, quæ in aliqua ecclesia sunt canonice instituta ut illius temporalem administrationem habeant, ut confratres aliquo speciali habitu vel sacro induti ad instar cujusdam collegii clericalis possent sacris functionibus assistere, et una cum clero in publicis supplicationibus associari.

Quæ vero non possunt facere tanquam laici, illa per quemdam clericum seu capellanum præstant, qui ad hoc deputatur ut in sacris deserviat confratribus.

IV. Tertia categoria constat ex iis collegiis quæ in-

stituta sunt simpliciter ad hoc ut habeant administrationem cujusdam peculii ecclesiastici, favore fabricæ ecclesiarum impendendi. Hæc collegia solent in Galliis aliisque locis *fabricæ* nuncupari; in Etruria vero *opera*. Hæc autem institutio non adeo remota est, et præsertim causam habuit ex deprædatione bonorum ecclesiasticorum quæ aliquibus in locis obtinuit. Laici, sub episcoporum directione, in quasdam societates coaluerunt, sese ad quamdam pecuniæ summam colligendam servandamque obligantes, ut corruentibus ecclesiarum fabricis et illarum ornamentis subsidium afferrent. Hæc collegia non habent nisi meram administrationem hujus peculii quod pro fabricis ecclesiarum conflatum est et sub episcopi directione administrandum. Comparari possunt clericalibus ordinis administrativi collegiis.

TITULUS III.

DE STATU REGULARI.

Status ille potest sub duplici aspectu considerari, in genere videlicet et in specie : in genere et in abstracto, præscindendo a studio quod gerant singuli homines assequendæ perfectionis vel a gradibus quibus in ea profecerunt; in specie et in concreto, si status moralis et asceticus singulorum coram Deo expendatur.

Hæc autem secunda investigatio excedit limites generalis tractationis, essetque homini impossibilis. Consideratio enim interni status singulorum coram Deo constituit objectum quod scientiam nostram latet omnino, siquidem non tantum aliorum, sed et noster ipse status moralis coram Deo nos fugit; homo enim nescit an amore vel odio dignus sit.

Tractationem igitur de statu perfectionis in genere

proponendam esse duximus ut definiatur status evangelicæ perfectionis. Verum hæc generica investigatio in duas sponte distinguitur, quarum altera *dogmatica*, altera vero *disciplinaris*. Dogmatica determinat ideam, prototypum, exemplar vitæ perfectionis in Ecclesia. Disciplinaris praxim demonstrat quam pro variis ætatibus, pro variis institutis, christiani secuti sunt, ut juxta hujusmodi exemplar perfectionis christianæ actus suos efformarent; dogmatica enim investigatio nata est ut prior sit alteri.

Igitur totam hanc tractationem ad duo capita reducimus, nempe primum de statu evangelicæ perfectionis dogmatice inspecto, alterum de eodem statu quoad disciplinam.

CAPUT PRIMUM.

DE STATU EVANGELICÆ PERFECTIONIS DOGMATICE INSPECTO.

I. Non omnes hominum actiones habent eumdem respectum, eamdemque rationem ad finem ultimum, cui per gratiam contendimus. Nam aliæ habent relationem necessitatis; aliæ vero simplicis indifferentiæ in finem: necessitatis ordinem servant quæ poni aut omitti debeant ut finis assequi possit; indifferentia quæ poni possunt vel omitti sine detrimento consecutionis finis. Necessitas illa eam importat obligationem quam moralem dicimus; propterea constituit quemdam ordinem præceptivum absolute servandum, ut finis obtineatur. Hæc autem indifferentia hanc relinquit libertatem moralem ponendi vel omittendi actus illos; eapropter constituit ordinem permissivum.

Porro actiones hæ vel omissiones quæ spectant ad hunc ordinem, licet omnes conveniant in hoc genus indifferentiæ, non tamen omnes habent eamdem opportunitatem ad finis assecutionem; siquidem, licet

præceptæ nullæ, nullæ vetitæ, tamen quædam fini assequendo aptiores sunt, quædam vero minus opportunæ. Quare ipsa consequendi finis sollicitudo quæ urget nos, illas sicuti opportuniores suadet ac suggerit, has vero tanquam minus opportunas dissuadet.

Unde in ipsa categoria actionum indifferentium in finem intra ipsum ordinem permissivum, distinguimus duas categorias actionum et omissionum, quarum aliæ de consilio sunt ut fiant, aliæ de consilio ne fiant.

II. Christus autem, qui voluit nos non tantum reparare in finem, sed etiam docere faciliorem viam qua finem nostrum consequeremur, moralibus præceptis consilia addidit evangelica : illa ut ordinem servaremus in finem; hæc, ut alacriores, expeditioresque ad finem nostrum contendere possemus : illa ut conficeremus vitia, instrueremur virtutibus; hæc, ut ipsam materiem substraheremus vitiis, ne ipsa illis deservire possit, vel agere obstaculum vel impedimentum ponere in via qua ad finem nostrum contenderemus.

Et sane legi divinæ inimica est concupiscentia, quam pro triplici objecto in triplicem sanctus Joannes distinguit; videlicet : concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ, sicuti est inordinatus appetitus, et carnis, seu sensibilium oblectamentorum, et divitiarum et propriæ excellentiæ.

Hinc nascuntur tria illa vitia quæ *luxuriam*, *avaritiam* et *superbiam* nuncupamus. Porro ad superanda hæc vitia necesse non est ut homo sensibilium affectui aut divitiarum et suorum amori omnino renuntiet, sed sufficit ut inordinatum tollat affectum, et contrariis virtutibus pro sua conditione insistat: sic castitas in matrimonio, liberalitas in divitiis, humilitas in dignitate serventur.

Sed cognitum est quam difficile sit in his rebus, in

harum usu modum servare, difficile sit igitur exinde non exsurgere impedimentum quod gressum nostrum in finem valeat retardare; imo impossibile est quod in harum rerum usu cor hominis aliquantisper non dividatur, ita ut non possit tota animi intensitate in finem suum properare.

Quare satis non fuit Christo huic triplici vitio triplicem opponere virtutem, ut ordinem servaremus ad finem; sed consilia addidit, quibus nos in dies proficeremus. Postquam hominibus proposuit indefinitum exemplar progrediendi ad ulteriorem perfectionem, dicendo : *Estote perfecti sicut Pater meus cœlestis perfectus est*, tria addidit consilia : voluntarii *cœlibatus*, voluntariæ *paupertatis*, voluntariæ *obedientiæ* et abnegationis, ita ut materies quælibet substraheretur tribus dictis vitiis, et tres oppositæ virtutes completam habere possent evolutionem.

Sic dum quærerent apostoli (S. Matth. 19) de proposita monogamia matrimoniali, stringebat Christus : *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.* Item ibidem dicebat juveni qui mandata secutus fuerat ab adolescentia sua : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus; veni, sequere me.* Et S. Matth. 16 : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Igitur tria consilia discipulis suis sequenda proposuit.

His tribus propositis consiliis, quibus sequendis obligabat neminem, vocabat omnes, consequens erat ut gratiam in homines diffunderet qua huic vocationi respondere possent.

Sed donationis Dei et gratiæ eadem mensura non est; et alius quidem donum accepit, alius plura, ut dicit Apostolus. Propterea aliquando gratia terminatur ad aliquem actum secundum hæc consilia præ-

standum ; aliquando ad habitum suscipiendum his consiliis consonum ; sed aliquando habitualiter a Deo disponitur ad unum potius quam ad alterum sequendum, aliquando ad omnes : inde varios gradus hujus perfectionis appetimus. Quod si talis norma vivendi conditio sit ut his tribus consiliis habitualiter sequendis incumbamus, profecto hic erit *status evangelicæ perfectionis.* Quare dictus status, dogmatice inspectus, est permanens vivendi conditio qua homo gratia Dei preventus, tribus consiliis voluntarii *cœlibatus*, voluntariæ *paupertatis* , voluntariæ *obedientiæ* , habitualiter dicatur.

CAPUT II.

DE STATU EVANGELICÆ PERFECTIONIS QUOAD DISCIPLINAM.

I. Gratia evangelicæ perfectionis dupliciter considerari potest : vel alligata cuidam regulæ seu vivendi instituto speciali , vel libera omnino , proprio spiritui indulgens, nec aliquem habens prototypum cui conformetur, nec exemplar dogmaticum christianæ perfectionis quod referre debeat. Vita perfectior quæ determinatione vacat, audit simpliciter *vita devota*, quæ, licet nunquam defuerit apud christianos , tamen nostræ tractationis objectum esse non valet. Cum enim spiritus ubi vult spiret, et infinata et varia sint dona gratiæ Dei, non potest hoc spiritualis vitæ genus ad certam regulam , ad certumque jus reduci.

Quare tota tractatio de disciplina perfectioris vitæ in Ecclesia reducitur ad vitam illam perfectiorem quæ alicui determinatæ regulæ et vivendi instituto alligata, audit vita *religiosa* et *regularis.* Cum autem hoc secundum vitæ spiritualis genus habeat quamdam institutionem ab Ecclesia receptam et probatam cui conformetur, potest esse objectum juris canonici.

Tota igitur tractatio reducitur ad investiganda instituta quæ varia pro variis temporum adjunctis in Ecclesia Christi fundata sunt, ut spiritum christianæ perfectionis fovere et adipisci fideles provocarentur. — Hoc ut ordinatum præstemus, tractationem hanc historico-juridicam in duas epochas principales distinguemus, quarum prima ab Ecclesia condita ad Decianam persecutionem currit; altera a Deciana persecutione ad nos.

ARTICULUS PRIMUS.

De religiosis perfectioris vitæ institutis ante Decii persecutionem.

II. Hæc epocha potius negativa quam positiva sese exhibet hac in re; generatim loquendo non apparent determinata vivendi instituta, regulæ speciales quas christiani profiterentur in ordine ad evangelicam perfectionem; sed generale erat apud primitivos christianos perfectionis studium, ingens fervor caritatis quæ perfectio legis est. Sed instituta quædam regularia promovere, fovere, perficere, nec illis permisisset ira persecutionis, nec Ecclesiæ utilitas et opportunitas exegisset.

Non quidem hæc ipsis permisisset cruenta persecutio quæ in eos sæviebat, siquidem nihil quod ad christiani spiritus culturam conduxisset, permisisset gladius ille qui nec vitam volebat christianis. Nec Ecclesiæ utilitas; siquidem non erat illud tempus quietis et otii monastici, sed tempus pugnæ quo christianis martyribus decertandum foret ut Christi fidem in terris stabilirent. Ergo temporum circumstantiæ tales erant quæ non invitabant christianos in solitudines ut sequerentur proprias ascensiones mentis erga Deum ; sed ut

quamdam vitam activam curarent, alios fidem docendo et caritate inflammando.

III. Attamen licet hæc epocha, generatim loquendo, sese negativam potius quam positivam exhibeat, si placet rerum origines remeare, nonnulla remota semina possumus reperire, quæ regularium institutorum succedentium sæculorum tanquam quædam initia constituunt. Habemus enim et in hac prima periodo, quædam peculiaria instituta et voluntariæ paupertati colendæ, vel propriæ abnegationi et voluntario cælibatui accommodata.

Sic, v. g., institutum illud communis vitæ de quo mentionem faciunt Actus apostolici IV, 30 et seq., quo multitudinis fidelium erat cor unum et anima una; si quisquam quæ possidebat non suum esse dicebat, sed erant omnia communia, erat voluntariæ paupertati speciali modo accommodatum. Sic spiritus abnegationis speciali modo fovebat institutum ascesis, seu piæ exercitationis cui homines addicti, si mares, *ascetæ*, si feminæ, *ascetrices* dicebantur. Siquidem hujusmodi ascetæ et ascetrices singularem christianorum ordinem instituebat piæ exercitationis, nempe pœnitentiæ, carnis macerationi et omnimodæ mortificationi addictum.

Unde in Canonibus Apostolorum videmus hujusmodi ascetas cæteris laicis prælatos, ita ut immediate post clerum communicarent. Sic erat voluntario cælibatui et etiam virginitati accommodatum institutum virginum sacrarum, quod a primis rei christianæ sæculis obtinuit, et deinde ad viduas perductum est.

Hæ virgines sacræ erant virgines christianæ quæ virginitatem suam in manus episcoporum et presbyterorum publice profitebantur, et aliquando in virginitatis proposito probatæ tanquam Christo nuptæ vela-

bantur, et ita intra domesticas ædes vitam traducebant, in multum non dissimilem ab ea quam posteriori tempore moniales amplexatæ sunt.

Quod institutum primo pro virginibus, inde etiam ad viduas protensum est, quæ nempe, viro defuncto, ad instar virginum sacrarum velabantur ut cælibatum propositum servarent. Tamen honor ille virginibus reservatus est quod virgines velum benedictum de manu episcopi haberent impositum, viduæ vero non : benedictum sibi voluntarie imponerent.

Sed hæc vera instituta regularia non sunt, sed potius quædam primordia, quædam remota semina institutorum, quæ sequenti epocha apparuerunt.

ARTICULUS II.

De religiosis institutis post Decianam persecutionem.

IV. Hanc epocham subdistinguemus in quatuor periodos subalternas : 1ª a Deciana persecutione ad sæculum sextum (epocha monachismi orientalis); 2ª a sæculo sexto ad sæculum undecimum (epocha monachismi occidentalis); 3ª a sæculo undecimo ad sæculum decimum sextum (epocha fratrum mendicantium); 4ª a sæculo decimo sexto ad nos (epocha clericorum regularium). Accedet brevis appendix de vita regulari pro feminis, in qua nempe ab illa discriminatur quæ viris proposita est.

I. A Deciana persecutione ad sæc. quintum.

V. Tempore Decianæ persecutionis, nonnulli ex christianis, qui non vires ad martyrium sustinendum expeditas in se sentiebant, nec de officio in urbibus manere debebant, ut aliorum salutem procurarent,

uti debeant clerici, ut persecutionis rabiem declinarent, deserta loca petiere; ibique ab omni mundi cura segregati, unice divinæ contemplationi addicti sunt. Quod vivendi genus, licet persecutionis occasione susceptum, tamen adeo ipsis perjucundum visum est, ut cessatis etiam persecutionibus et reddita Ecclesiæ pace, maluerunt in eremis et desertis vivere quam ad civitates unde decesserant, redire. Hujusmodi homines tanquam solitarii, seu de vitæ instituto solitudini addicti, *monachi* dicti sunt (α μονος, solus) : inter quos primi connumerantur Paulus primus eremita et Antonius abbas ; primus tanquam hujus vitæ auctor et pater, ut dicit Hieronymus, alter vero tanquam illustrator. Nam Paulus quidem hanc vitam secutus est, sed discipulos non instituit; Antonius vero discipulos habuit et hanc disciplinam propagavit.

Nulla autem inter primitivos monachos fuit instituta societas, nulla vitæ communitas ; sed non tantum a cæteris hominibus, sed et invicem separati in heremis locis, huic vivendi instituto adducti sunt. Incolebant ipsi nonnulla deserta Egypti, ibique singuli ab invicem segregati, hoc vitæ genus traducebant. Sed Pacomius primus fuit qui in Egypti Thebaïde ædificare cœpit monasteria, seu cœnobia, in quibus monachi collecti communem inter se vitam ducerent. Unde monachi distincti sunt in eremitas seu *anachoretas* et *cœnobitas ;* illi locorum solitudines, isti vero cœnobia incoluerunt.

Cœnobitica autem vita per eremitas propagata, perfecta est a Basilio, qui regulam monachis scripsit, quam deinde omnia fere Orientis monasteria secuta sunt. Sed monachismus erat occidentalibus ignotus, fortasse despectus. Primus fuit Athanasius, uti refert Hieronymus, qui Romam confugiens, Romanis proponere cœpit Antonii institutum, illosque docere de mo-

nasteriis quæ per Orientis regiones, Pacomii cura, exstructa fuerant, et adeo inflammavit animos, ut cœperint etiam hìc monasteria erigi, et in tanta quantitate, ut Hieronymus asseruit Romam, sub hoc respectu, tanquam Hierusalem factam fuisse. A Roma in Italiam, ex Italia in alias Europæ partes, monasticum institutum propagatum est.

VI. Quoad indolem quam hujusmodi instituta sumpserunt per hanc periodum :

1° Vita regularis fuit unice contemplativa. Quare clericatus et monachismus tanquam duæ res incompatibiles apprehensæ sunt. Monachismus enim eminenter contemplativus, solitarius, segregatus; clericatus eminenter activus, talis qui de suo instituto, in medio societatis et in consortio multitudinis debet reperiri ut in mores influat.

Si igitur monachus (quod frequenter eveniebat) clericus fieri debuisset, seu episcopus vocasset monachum in clericatum, eo ipso monasticum institutum naturaliter amittebat; et monachi clerici erant veluti regulæ exceptio ; ideo tantum in clericatum assumpti, ut sacramenta monachis possent ministrare, ut hierarchicam monasterii curam sustinere possent, ne cum detrimento vitæ solitariæ et contemplativæ adigerentur ut ad publicas devenirent ecclesias.

2° Duplex fuit methodus prosequendi hanc vitam solitariam et contemplativam : methodus eremitarum et methodus cœnobitarum propria. Quare vita contemplativa associata est tum eremiticæ, tum cœnobiticæ. Locus quem incolebat ille, *laura* dicebatur, seu ager quidam distinctus, ubi unusquisque in cellula manebat. Domus autem cœnobitarum *cœnobium* seu *monasterium* dicta est.

3° Hæ familiæ cœnobitarum, ad instar simplicis

familiæ seu societatis domesticæ erectæ sunt, quarum caput abbas, ut prior, et etiam archimandrita vocabatur, qui in monachos familiæ suæ potestatem illam explicabat quæ patris-familias erat propria; ideoque statim ac, monachorum placito, abbas erat constitutus, nutu illius omnia quæ ad monasterium pertinebant, regebantur.

Hæc tota monasterii œconomia, regimen atque concordia stabat in ea obedientia quam monachi abbati suo servabant. Nulla enim fuit in primitivis monasteriis regula, vel si fuit, post Basilium, ea in manu superioris servabatur, illiusque nutu modificabatur. Nulla erat determinata professio, nulla vota, quibus se monachi huic vitæ obstringebant; sed professionis vices agebat constans voluntatis propositum, quo se monachi instituto illi addicebant. Nulla determinata vestis specialis, sed quæ erat ad modestiam composita.

Erant monachi quidam laici ex christianis, qui modesta veste induti, in solitudines confugiebant, ut ibi, vel separati omnino ab aliis, vel conjunctim viventes in aliquo monasterio, sub nutu superioris, contemplativæ vitæ operam darent; nec alia habebatur regula, nisi obedientia abbati præstita.

4° Externus status quem habebant hæ familiæ coram Ecclesia, erat status proprius cujusdam collegii laici; ideoque tanquam laicalis confraternitas et speciale collegium nonnullorum laicorum diœcesis, sub episcopi jurisdictione, erat constitutum et ejus curæ speciali commendatum.

VII. Quod vero spectat ad utilitatem quam Ecclesiæ peperit hoc vivendi institutum per hanc periodum, consideratur tum in ordine ac studium vitæ spiritualis et provectum circa fidei veritates, tum in ordine ad exemplum.

Quoad *primum*, contemplationi vacantes, ex instituto maximum tempus impendebant meditationi Scripturarum. Eapropter præ cæteris erant exercitati, ut, data occasione, gliscentibus hæresibus sese opponerent. Ita monachorum studium Ecclesiam juvabat contra hæreticorum incursus.

Quoad *secundum*, id, Dei providentia, oppositum fuisse videtur superstitioni paganorum, quæ ex tempore non corruebat omnino; siquidem spiritualismus monasticus visus est oppositus materialismo pagano : proponebatur enim practicum exemplum sublimitatis moralis christianæ contra turpitudines ex paganismo exortas. Et quodammodo exemplum monastici instituti videtur successisse in Ecclesia exemplo fortitudinis martyrum, ut in duplici hoc exemplari conspiceretur sublimitas doctrinæ christianæ.

II. Epocha monachismi occidentalis.

VIII. Novam vitæ regularis periodum aperuit Benedictus Nursiæ natus, qui primum Sublaci, deinde in monte Cassino, monasteria fundavit, itemque monachis suis tradidit regulam, quam et deinde omnes occidentales monachi secuti sunt. Merito occidentalium monachorum patriarcha nuncupatus est.

Regula benedictina ad formam suæ primitivæ institutionis mansit usque ad sæculum nonum, quo tempore, cum aliquando remittere visa sit de sua primæva disciplina, plures ortæ sunt congregationes, v. g. Cluniacensis, Camaldulensis, Vallis Umbrosæ, Cirsterciensis, etc., etc., quæ benedictinum institutum reformarunt.

Sed hæ congregationes non fuerunt nisi totidem modificationes, reformationes supra benedictinam regulam, tanquam exemplar et πρωτοτυπον elaboratæ,

quæ videlicet, id potissimum intendebant, ut benedictinam regulam, ad suum revocarent spiritum et temporum circumstantiis accommodarent. Forma autem stabilis quæ integra mansit, atque influxit in omnes institutiones monasticas hujus temporis, fuit regula benedictina; ideoque omnes plus minus possunt sub epocha benedictina confundi.

IX. Satis de historia. Quod spectat ad *statum disciplinæ* regularis hujus periodi :

1° Intra plurima monasteria, receptam videmus regulam communem. Periodo antecedenti, licet regula Basilii fuerit plus minus recepta apud monachos orientales, tamen monasteria sic erant fundata, ut regula esset in manu superioris, cujus erat unam regulam sequi, aliam respuere, unam vel aliam diverso modo modificare. Multo minus vero singuli monachi uni obligabantur regulæ, sed iis licitum erat de uno in alium monasterium, pro sua libertate vagare, et ibi moram figere, si fini obtinendo majorem cognoscerent utilitatem. Unde nec aderat fixa et stabilis regula apud diversa monasteria recepta, nec fixa stabilisque mora monachorum.

At regula benedictina eadem ab omnibus monasteriis occidentalibus recepta est. Eapropter uniformis omnino esse cœpit vita monastica; quædam pro omnibus instituta tyrocinia, ad hoc ut in ordinem admitterentur; quædam determinata professio, qua singuli regulæ se obligabant; quædam vestis determinata, qua monachi ab aliis distinguerentur; quædam uniformis dispositio independens a voluntate superioris localis, qua æquanimiter omnia Occidentis monasteria gubernabantur.

2° Non tantum regula communis intra diversa monasteria, sed etiam regimen commune. Nam licet juxta

primitivam regulam Benedicti, singula monasteria essent invicem independentia, tamen per reformationes Cluniacensium et Cistercensium potissimum, abbas monasterii primitivi quod dictum est monasterium caput ordinis, non tantum habitus est tanquam superior illius singularis cœnobii, sed etiam totius ordinis generalis, ita ut singuli abbates singulis præessent monasteriis, ipse autem una cum collegio omnium abbatum sub se constituto, universo præesset ordini.

3° Apparent per hanc periodum prima initia exemptionis regularium. Nam antecedenti periodo, considerabantur monasteria tanquam simplices familiæ spirituales sub jurisdictione diœcesani episcopi omnino constitutæ, seu non competebat abbati monasterii, nisi quædam auctoritas propria patris-familias; sed quod respiciebat jurisdictionem et publicum gubernium, id totum episcopali jurisdictioni reservabatur. Imo ex canone 4° concilii Chalcedonensis, et uniformiter ad hunc canonem, Justinianus (nov. 67 et 123 singulariter) speciali modo concrediderat episcopis curam monachorum, non secus ac clericorum.

Unde episcopi putarunt eamdem auctoritatem se explicare posse in monachos et eorumdem ecclesias, quam super clericos et ecclesias diœcesanas. Quare non tantum instituebant clericos qui a sacris præessent in monachorum ecclesiis, sed etiam ad eas indicebant sacra solemnia, quæ maximum populi concursum provocabant, cum detrimento quietis monasterii. Item, pro suo libito, monachos avocabant a monasteriis, irrequisitis abbatibus, ut eos clericatui initiarent, quod etiam cedebat in damnum monasticæ disciplinæ. Item peculium monachorum ipsi administrabant, in dispendio monachorum ipsorum.

Quare Gregorius magnus, qui et ipse monachus fuerat, horum malorum apprime gnarus, circa finem sæculi VI[i] et initio VII[i], cœpit nonnullis in rebus eximere monachos ab episcopali jurisdictione, seu relicta episcopis auctoritate instituendi clericos pro servitio ecclesiarum monachorum, ademit ipsis facultatem figendi sedem episcopalem in ecclesiis monachorum, ut ibi sacra solemnia celebrarent; abstulit libertatem assumendi monachos in clerum, abbatibus irrequisitis; item et facultatem administrandi bona monasteriorum. Quare introducti sunt quidam limites qui designarent quid episcopus posset, quid non, in regulares, seu oriri cœperunt quædam initia et primitiva semina exemptionis illius quæ deinde, sequenti periodo, suam integram habuit evolutionem.

Sed non erant regulares substracti omnino ab episcopi jurisdictione; multo minus habebant statutum generale dictæ exemptionis, sed solum incipiebant hic et illic eximi monasteria quoad nonnulla ab episcopi jurisdictione. Ut demonstraretur quid posset episcopus, quid non in regulares, Glossographus circa finem sæculi XII quamdam invexit distinctionem *legis jurisdictionis* a *lege diœcesana*.

Ad primam reduxit ea omnia quæ integre remanserunt episcopis in regulares; ad diœcesanam ea omnia in quibus regulares fuerunt ab episcopis substracti. Quæ distinctio, licet nullam habeat significationem, tamen, quippe cum paucis verbis comprehenderetur, unanimiter recepta est. Quare generaliter obtinuit dici regulares subjectos esse legi jurisdictionis, non autem legi diœcesanæ.

4° Consociatus videtur per hanc periodum clericatus monachatui, non quidem principaliter et primario, sed secundario et accessorie; tamen non amplius ea

raritas conjunctionis servatur quæ fuit epocha antecedenti; sed hæc conjunctio, licet non ex instituto, sed subsidiaria, tamen ordinaria facta est; seu in primitiva epocha, monachus clericus erat regulæ exceptio. Igitur si clericus fieret, ea tamen de causa id eveniebat, ut posset sacra monachis ministrare, quin deberet episcopus ad eos clericos mittere, vel ipsi cum detrimento vitæ solitariæ accedere ad publicas ecclesias.

Sed præsenti periodo, præsertim circa sæculum decimum, ordinaria facta est conjunctio utriusque vitæ, qua duo profluxerunt: 1° distingui cœperunt monachi ordinariò in clericos et laicos, seu conversos; 2° accedere cœpit vitæ monasticæ quædam actio propria clericatus, qua factum est, ut monachi, licet in subsidium clerici secularis, tamen ut ad ministerium clericale exercendum cum ipsis concurrerint. Imo maximam laudem in eo exercendo sibi compararunt maximam præ clericis secularibus existimationem populorum, ob singularem vitæ sanctitatem. Nec defuerunt quidam inter monachos, qui vitam apostolatus susceperunt, ita ut plures gentes ordini benedictino Evangelii propagationem debuerunt.

5° Accedere cœpit monachorum superioribus regularibus et jurisdictio quædam quasi episcopalis pro locis, castris vel oppidis monasterio subjectis; imo, aliquando etiam jura regalia seu feudalia quæ episcopatibus etiam per illam ætatem competebant, in Germania potissimum accessere. Quæ omnia id etiam sequuntur quod vita activa magis, magisque monachismo conjungeretur.

X. Hæc de indole monachismi ipsius periodi. Nunc de *utilitate* quæ ex ipso in Ecclesiam redundavit.

1° Cultura scientiarum, litterarum et artium, cui speciali modo addicebantur monachi, præservavit ætatem illam a totali ignorantia, in quam secus incidisset. Unde debent scientiæ, litteræ et artes suam perfectionem, suamque conservationem ordini benedictino.

2° Clericatus monachismo maximam attulit utilitatem, quum præsertim clericus secularis sæcularia vitia prosecutus nimis esse videbatur. Hac enim de causa factum est ut monachi benedictini, ob spectatam vitæ sanctitatem præ cæteris clericis, emicuerint et maximam principum et populorum existimationem sibi comparare et rei christianæ plurimum conferre visi sint.

3° Hinc ipsa regalia jura quæ pluribus abbatibus accesserunt, non parvam secum tulerunt utilitatem. Quippe potuerunt ipsæ legislationes civiles orthodoxis imbui principiis; quum sub illorum auctoritate modificabantur quæ christianæ perfectionis professionem ex instituto foverint. Verum ingentes divitiæ et curæ temporales quæ, hac de causa, monachis accesserunt, ex alia parte, enervare cœperunt monasticam disciplinam. Quare nova surgit regularium epocha, quæ oppositam omnino præcedenti speciem gerit, nempe mendicantium.

III. Epocha mendicantium.

XI. Dilui cœperant, sæculo duodecimo, ignorantiæ tenebræ quæ anteactam ætatem obduxerant. Omnium ingenia nova moliri conabantur, et in ea omnia tentamina avide prorumpere, quæ artium, scientiarum morumque restaurationes sequentibus sæculis parabant. Hæ sæculi tendentiæ consideratæ in ordine ad statum religiosum, infinitas propemodum novas insti-

tutiones produxerunt, antiquas reformaverunt, ita ut talem ac tantum habeamus per hanc periodum, novorum ordinum tum veterum reformatorum numerum, ut hæc ætas, quæ a sæculo duodecimo usque ad decimum sextum perducitur, vere parens fœcundissima fuerit institutionum regularium.

Sed non omnium istarum institutionum idem spiritus, eadem indoles, eadem sanctitas et rectitudo. Non semel factum est ut, sub pietatis et religionis specie, impietas, hæresis, superstitio obtegeretur: v. g. religiosi illi Humiliati dicti, seu Pauperes a Lugduno, quos tanquam hæreticos damnavit Lucius III (c. III *de hæret.*). Ergo in tanta rerum perturbatione, in tanta innovationum varietate, opportunum credidit Ecclesia in rigidiorem abire disciplinam. Et dum, anteactis periodis, facile obsecundaverat fundatorum spiritum, his temporibus opportunum credidit considerare spiritus an ex Deo essent, necne; ideoque, sæculo XIII°, tum in concilio generali Lateranensi IV° sub Innocentio III (cap. IX, *de reliq. dom.*), tum in concilio Lugdunensi II° sub Gregorio X (cap. unico, eodem II°), sancitum est ut nemo novam religionem inveniat, sed unam de approbatis assumat.

Sed hæ juris communis dispositiones, dum ex una parte tollebant privatis arbitrium fundandi novos ordines regulares et episcopis facultatem tollebant eos approbandi, non poterant, ex alia, imminuere præcellentem Romani Pontificis auctoritatem, qua possunt, pro institutionum opportunitate, novos ordines approbare. Imo concilium Lugdunense secundum expresse hanc facultatem Romano Pontifici reservavit. Quare hujus prohibitionis effectus non fuit ut nullum exinde reperiamus novum institutum regulariter conditum, sed tantum ut confusa et arbitraria eorum in-

stitutio intercluderetur, et novi ordinis erectio fieret causa major, quæ nempe priori sedi reservaretur.

XII. Quatuor igitur primariæ species institutorum regularium hujus ætatis : 1° capitula canonicorum regularium; 2° ordines equestres seu militares; 3° ordines redemptionis captivorum; 4° ordines mendicantium. Quod ultimi generis institutum, sive ob latissimam quam habuit propagationem, sive ob amplissima privilegia quibus ditatum est, sive quia fuit velut norma secundum quam plura alia instituta ut mendicantia approbari voluerunt, tale constituit elementum in vita regulari, ut epochæ huic nomen dare videatur.

1° *Canonici regulares.* Inclinante sæculo quarto, Eusebius, episcopus Vercellensis, antea monachus, vitam communem monachorum in clerum suum introduxit. Institutum hoc in alias Italiæ ecclesias propagatum est. Degebat eo sæculo Mediolani Augustinus, sub disciplina sancti Ambrosii episcopi, et hoc more italico adeo delectatus est, ut ad Ecclesiam Hipponensem assumptus, in hanc Ecclesiam illum introduxit. Hic regulam scripsit a clericis suis tenendam. Fama Augustini, per ætatem illam celebratissima, effecit ut hæc disciplina a cæteris reciperetur ecclesiis, evaderetur sæculo quinto disciplina communis.

Hæc fuerunt primitiva semina quæ jacta sunt hujus institutionis canonicorum regularium; sed non fuit institutio perfecta in esse regulari, siquidem regula vel convictus communis per se regulares non facit stricto sensu, prouti communiter regulares non dicimus alumnos omnes alicujus collegii, etc.

Sed ad hoc ut regula religiosas faciat, necesse est ut dirigatur ad exercitium evangelicæ perfectionis, et tanquam de consilio spontaneæ individui electioni relinquatur. Jam vero regula hæc, per sæculum quin-

tum in clericatum introducta, non eo tendebat directe, ut clericos exerceret in via consiliorum evangelicorum, sed tantum ut clericos removeret a vitiis et distractionibus sæculi, ut eos exerceret in muneribus clericalibus; nec hujusmodi vivendi genus individui electioni relinquebatur, sed erat tanquam methodus præfinita, quam, vi assumptionis clericalis, clericus sequi deberet.

Erat modus quidam disciplinaris et practicus (quo ex præcepto, lege et consuetudine, providebatur per illam ætatem, ut clerici viverent secundum spiritum suæ vocationis) actuandi ergo vitam clericalem, non efformandi monachos, quemadmodum hodie seminaria non sunt ascetoria monachorum, sed tantum domus communes recentiori jure institutæ, ut ibi juvenes, procul a distractionibus sæculi, in scientiis, in muneribus clericalibus instituantur.

Sola differentia ea est, quod hodie, pro solis initiandis clericis, olim pro omnibus etiam senioribus servaretur. Ergo videmus a sæculo quinto, quædam semina hujus institutionis, non autem institutio perfecta. Hæc semina evoluta apparent magis sæculo sexto et sequentibus : siquidem collapsa per eam ætatem vita communi, quædam fuerunt capitula quæ veteri disciplinæ tenacius inhæserunt.

Quare clerus qui nesciebat distinctionem inter regularem et secularem, cœpit, præsertim sæculo decimo, hanc distinctionem experiri, ut alii *regulares*, alii *seculares* dicerentur. Sed videtur hujus distinctionis intellectus longe esse ab hodierno intellectu.

Namque non distinguebantur regulares et seculares tanquam si illi consociarent monachismum et clericatum, hi autem non sic; sed quatenus illi essent antiquæ regulæ observantes; hi vero ab illa defecis-

sent; quatenus illi procul a familiis et domibus secularibus viverent, hi vero in privatis domibus. Sed hi clerici seculares facile sæculi vitia contraxerunt, præsertim luxuriam et avaritiam. Unde vitia concubinatus et simoniæ per hanc mediam ætatem clericos non parum infecerunt.

Unde, sæculo XI°, curante potissimum B. Petro Damiano, tum Nicolaus II^{us} in concilio romano anni 1059, tum Alexander II^{us} (1063) curarunt vitam communem revocare. Fuit hæc ad instar exercitiorum spiritualium pro toto clero indicta, ut a sæculi vitiis mundaretur. Verum hoc fine obtento, iterum collapsa est.

Interim, sub hac revocatione communis vitæ factum est ut nonnulla capita clericorum seu canonicorum hanc regulam vitæ communis spontanea electione amplexa sint, non tam ut viverent vitam clericalem, sed ut in ulteriorem contenderent perfectionem, additis etiam votis paupertatis, obedientiæ et castitatis. Unde clerici in regulares et seculares distincti sunt : illi qui monachismum clericatui consociarent, hi qui in sæculo clericalia munia obirent.

2° *Ordines militares.* Fuerunt instituta regularia quæ statum religiosum cum statu militiæ armatæ, studium evangelicæ perfectionis cum animo bellicoso consociarunt. Res quidem mira vidisse religiosos belligerantes; tam pia, sacra, utilis, quam Ecclesiæ defensio id postularet. Fervebat enim tum Islamismus, et universo ordini sive religioso, sive politico totius Europæ imminebat.

Igitur religiosi milites arma sumpserunt, statum bellicosum ex instituto professi sunt, ut Turcas seu Saracenos subigerent, eosque a christianis divexandis continerent.

Multiplices fuerunt hujusmodi ordines, et a sæculo XI° ad sequentia sæcula sub diversis institutis, secundum diversa regna propagati. Una autem plus minus fuit causa omnium communis : Turcarum subactio; ideoque postquam Mahumetismus subactus est, vel saltem non amplius formidandus exstitit, tanquam missione adimpleta, hujusmodi ordines exstincti sunt, vel saltem retinuerunt equestria ordinis insignia, tanquam vetustatis monumentum et honorificentiæ institutum. Verùm exemplum harum institutionum vivit adhuc in posterorum memoria, etc.

Tres fuerunt vetustiores et præcipui inter hos ordines : 1us ordo equestris Hospitalariorum, seu equitum sancti Joannis Baptistæ hierosolymitani; 2us ordo Templariorum; 3us ordo equitum Teutonicorum, seu sanctæ Mariæ Teutonicæ.

XIII. *Ordo Hospitalariorum* conditus fuisse videtur a nonnullis mercatoribus, qui profecti Hierosolymam, impetrarunt a califfo cui tunc Hierosolyma erat subdita, ut hospitalem domum pro pauperibus et infirmis peregrinis fundare possent. Inde Hospitalarii dicti sunt; et cum domus hospitalis exstructa esset prope ecclesiam sancti Joannis Raptistæ hierosolymitani, dicti etiam fuerunt equites sancti Joannis Baptistæ hierosolymitani.

Initio hujus institutionis, ordo hic non erat nec religiosus nec militaris, sed simplex sodalitium laicorum, operibus caritatis exercendis addictum. Sed postquam armis cruce signatorum capta est Hierusalem, novum regnum hierosolymitanum, duce Godofredo Bullioneo, fuit institutum, ad finem sæculi XI, ordo hic brevi religiosus et militaris evasit, siquidem eo ferme tempore (1199) tria vota solemnia castitatis, paupertatis et obedientiæ hujusmodi religiosi fecerunt, regu-

lamque habuerunt a Paschali II° confirmatam. Deinde vero, secundum statuta a Raimundo Dupuis, secundo magistro generali, data, bellum professi sunt ut peregrinos contra Turcas defenderent.

Sed postquam christianis erepta fuit Palæstina, isti equites transierunt in insulam Cyprum, in Rhodum, unde equites *Rhodienses* dicti sunt. Demum sub Carolo V° (1530) Melitensem insulam obtinuerunt, unde equites *de Malta* nomen sortiti sunt. Sed a Melitensi insula ejecti, in suas privatas domos iterum redire coacti sunt. Ordo hic hodiedum perseverat, honoris potius quam officii causa.

XIV. Paulo post Hospitalarios, alter ordo, *Templariorum* nempe, fuit institutus circa annum 1118. Origo hujus novæ institutionis hæc fuisse videtur. Nonnulli nobiles viri numero novem, qui Godofredum Bullioneum fuerant secuti in expeditione bellorum sacrorum, capta Hierosolyma, opportunum arbitrati sunt in singularem coire societatem ad hoc, ut peregrinos qui tanta copia tunc Hierosolymis affluebant, ab injuriis Turcarum defenderent. Tribus assuetis votis et quartum addiderunt : pugnandi in perpetuum contra Turcas, si pro Ecclesiæ defensione opus foret.

Regulam habuerunt a sancto Bernardo confectam et ab Honorio II° comprobatam. Cumque hujusmodi equites per id tempus incoluerint domum prope templum Salomonis sitam, quam ipsis concesserat Balduinus, secundus Hierosolymorum rex, inde a templo Templarii dicti sunt.

Sed hic ordo, qui tantam omnium laudem sibi comparavit, sæculo XIV° videtur longe defecisse a spiritu primævæ institutionis, siquidem Templarii milites de pluribus flagitiis accusati, impudenter confessi sunt illorum institutum talibus criminibus sese maculasse.

Quare in concilio Viennensi hic ordo militaris Clementis V auctoritate abolitus est.

XV. Templarios secuti sunt *equites Teutonici*, quorum institutio videtur referenda ad 1190, in obsidione Ptolemaïdis. Cum nonnulli pii Germani operam singularem dedissent in adjuvandis militibus ægrotis et vulneratis, res hæc adeo placuit principibus Germaniæ qui tunc præsentes aderant, ut, occasione suscepta, ordinem peculiarem institui desiderarunt. Qui sic institutus, fuit anno 1191 auctoritate Cælestini III[i] confirmatus. Et cum hujusmodi equites, pro genio cæterarum institutionum militarium, et ipsi professi fuerint militiam pro terræ sanctæ et religionis defensione, inde est quod tanquam militaris ordo habitus est. Qui summam sibi laudem comparavit, et e Palæstina ubi ortum habuit, in alias regiones sese diffudit.

Sed cum, favente schismate lutherano, Albertus Brandeburgensis, cum pluribus ejusdem ordinis equitibus, fidem catholicam abjuravisset, hinc est quod et ipse ordo corruit.

XVI. *Ordines Redemptorum.* Quod ordines militares armis contendebant, alii ordines curabant aliis mediis procurare. Sic et ordines *Redemptionis captivorum,* qui ut christiani qui sub infidelium captivitate ceciderant, christiana caritate redimerentur, et sic exemplo caritatis christianæ Turcæ mansuescerent, instituti sunt. Duo fuerunt præcipui hi ordines : ordo *sanctissimæ Trinitatis* et ordo *sanctæ Mariæ de Mercede.*

Primus fuit institutus a sanctis Joanne de Matha et Felice Valesio, gallis anachoretis (1198), et ab Innocentio III° (1209) confirmatus. Dicitur hæc familia regularis *Cervifrigidi*, a loco ubi primum habuit cœnobium. Habuit quamdam specialem congregationem

strictioris observantiæ a Clemente VIII confirmatam, quæ dicitur *Discalceatorum.*

Ordo sanctæ Mariæ de Mercede fuit postea a Jacobo Arragoniæ rege, consilio beati Raimundi de Pennaforte, opera sancti Petri de Nolasco (1218), pontifice Honorio III°, institutus. Eum Gregorius IX^us confirmavit (1230). Professi sunt eumdem finem quem Trinitarii, sed quarto sese obstrinxerunt voto manendi sub infidelium captivitate, si pro redemptione captivorum opus fuerit. Adest et peculiaris hujus ordinis reformatio, discalceatorum dicta, et a s^to Pio V° approbata.

XVII. *Ordines mendicantes.* Ultimi generis instituta hujus periodi fuerunt *instituta mendicantia.* Primum ex iis fuit ordo *Fratrum minorum*, a sancto Francisco institutus, ab Innocentio III° probatus (1208), ab Honorio III° confirmatus (1223), qui habuit singulare hoc quod nefas illis esset ex regula quidquam in commune possidere; sed per quæstum publicum, victum illis tribueret incerta mendicitas. Unde nomen Mendicantium.

Tantam sibi promeruit laudem, ut alii ordines eam fuerint secuti. Tales fuere : *ordo Prædicatorum*, a sancto Dominico institutus, ab Innocentio III° probatus et ab Honorio III° confirmatus. Dein *ordo Carmelitorum,* ab Alberto patriarcha hierosolymitano institutus, ab iisdemque Pontificibus probatus ac confirmatus, et ab Innocentio IV° mitigatus. Dein *ordo Augustinianorum,* qui ex variis familiis heremitarum, qui dicebantur sancti Augustini, in unum collectis, sub eodem Innocentio et ab Alexandro IV° comprobatus est.

Hi sunt quatuor præcipui ordines mendicantes. Successu vero temporum, sive quia in varias reformationes divisi sunt, sive quia alii ordines antiquiorem

regulam mendicantium amplexi sunt, vel etiam sive quia novi ordines ad instar eorum erecti fuerunt, adeo hoc institutum universam hanc epocham occupavit, ut vere dici possit epocha mendicantium.

Satis de historia institutorum regularium per hanc periodum. Nunc de principiis quibus nitebantur, deque utilitatibus quas Ecclesiæ attulisse visi sunt.

Vicissitudines vitæ regularis per hanc periodum.

XVIII. Vicissitudines quas subiit regularis disciplina per eam temporis periodum quæ ab XI° ad XVI^{um} decurrit sæculum, hæ potissimum sunt :

1° *Associata est* vita activa cum contemplativa, principaliter et ex instituto ; seu religiones quæ per hanc periodum apparuerunt, non fuerunt amplius pure contemplativæ, prouti prima periodo, nec principaliter contemplativæ, sed æqualiter tum contemplationem, tum actionem professæ sunt, et ideo dicuntur mixtæ. Hæc autem actio quæ contemplationi associata est, duplicis fuit generis, pro institutorum diversitate. Nam alia instituta professa sunt opera caritatis, alia ministerium clericale ; non solum : sed intra id genus operum misericordiæ vel ministerii clericalis pro diverso fundatorum spiritu, unam aut aliam operam prælegerunt.

Ita, inter misericordiæ opera elegerunt Hospitalarii curam infirmorum et pauperum ; ordines redemptionis captivorum libertatem ; ordines militares debilium defensionem, etc. ; sicuti inter diversa opera ministerii clericalis, aliæ religiones unum potius vel aliud elegerunt, prouti, v. g., verbi Dei prædicationem, fratres prædicatores, assistentiam choralem canonici regulares, etc. Igitur associata est actio contemplationi, actio autem diversa pro diverso institutorum objecto.

2° Ex illa principali associatione disciplinæ regularis cum clericatu, variæ profluxerunt *modificationes* circa statum regularium. Namque : 1° distinctæ sunt familiæ regularium in duas classes, quarum aliam tenuerunt clerici, aliam laici. Clerici tanquam patres intra familiam regularium nobiliora sustinuerunt officia pro monasteriorum administratione ; laici vero seu conversi, tanquam fratres ejusdem familiæ, inferioribus mancipati sunt ministeriis pro totius familiæ utilitate.

2° Integræ regularium familiæ, ex parte nobiliori, consideratæ sunt tanquam familiæ clericales, ideoque admissæ in participationem omnium privilegiorum quæ erant status clericalis propria. Imo ex analogia, eadem privilegia etiam ad moniales traducta sunt, licet status clericalis suscipiendi incapaces essent.

3° Ordinaria ergo facta est distinctio inter clerum secularem et regularem. Non enim clericatus pro monacho fuit amplius exceptio, prouti prima periodo, nec fuit amplius res communis quidem, sed accessoria, clericatus pro monacho, prouti in secunda, sed fuit res principalis, vi institutionis. Ex instituto, nempe ut regularis esset clericus, et prouti instituta fuerunt ab Ecclesia recepta et approbata, ipsa Ecclesia admisit hanc ordinariam distinctionem inter clerum regularem et clerum secularem. Solum clerici regulares in ordine ad clericos seculares semper tanquam clerici subsidiarii visi sunt, siquidem pro iis clericatus recipiebatur tanquam accessorium regulæ. Tantum canonici regulares non sunt considerati tanquam clerici subsidiarii, quia pro iis non clericatus regulæ, sed regula clericatui accesserat.

3° Per hanc periodum securior simul et rigidior facta est disciplina regularis. *Securior,* quia requisita est Ecclesiæ positiva approbatio ad hoc ut novus ordo

erigeretur. Quare regula quam antecedentibus periodis, supra spiritum vel prudentiam particularis animi fundatoris innitebatur, præsenti hac periodo, in Ecclesiæ judicio et prudentia, majorem nacta est securitatem.

Sed simul et *rigidior;* quippe regularis professio, quæ antecedenti periodo ignorabat vota, cœpit periodo hac cum votis conjungi; et quædam vota non tantum habuerunt pro objecto tria consilia evangelica, paupertatis, castitatis et obedientiæ, quæ subaudita sunt in conceptu christianæ perfectionis, sed ad alia etiam objecta supererogatoria extensa sunt, siquidem videmus nonnullas religiones quartum addidisse votum, sicuti de Templariis, de Fratribus, de Mercede, etc., verificari vidimus.

Nec tantum vota hæc adjecta professioni regulari fuerunt vota simplicia, emissa nempe pure et simpliciter pro prudentia profitentis, sed vota solemnia, id est, solemniter ab Ecclesia recognita, recepta, rata habita. Quo irrefragabili Ecclesiæ judicio interveniente, fit ut voti materies non sit tantum quid melius et possibile in abstracto, prouti esse dicitur de voti natura, sed fiat etiam quid melius et possibile in concreto, in ordine ad individuum sub illa peculiari regula consideratum. Siquidem Ecclesia, regula considerata in ordine ad finem quem sibi proponit, dijudicat revera illud melius et possibile pro individuo illo esse. Quare fit ut bonum morale, seu moralis perfectio individui possit esse, imo sit communis ratio solutionis voti simplicis, si demonstrari possit imprudenter individuum illum vovisse id pro quo assequendo vires sufficientes non habet; vota enim emisit uni suæ prudentiæ innixus, nec omnes prævidit et dimetitus est circumstantias, nec satis perpendit vires suas ad hoc ut

id promitteret quod pro se melius de facto in concreto esset.

Hoc autem evenire non potest in voto solemni, siquidem adest Ecclesiæ judicium; igitur stante illa regula speciali, individuus qui suum tirocinium legitime peregerit ante suam professionem, servatis servandis professionem illam emiserit, sub regula vivat, et id profecto assequetur quod illi melius est et possibile.

Propterea ne sibi Ecclesia contradicat, non potest esse ratio solutionis voti solemnis profectio individui, nisi amplius non verificetur suppositum (id est, nisi quia regula illa elanguescat, quod erat suppositum), secundum quod Ecclesia bonum illud melius et possibile esse judicaverat. Unde hujusmodi solutiones ordinarie conceduntur in dissipatione et suspensione vel languore institutorum regularium. De cætero autem, ratio solutionis voti solemnis non potest esse nisi ratio quædam extranea bono morali individui, v. g. bonum religionis, civitatis, physica valetudo, etc.; ita ut videatur hoc bonum morale individui perfectioni anteponendum esse.

Unde hæc votorum solemnitas professioni regulari accedens, rigidiorem fecit regulam, stabiliorem statum regularem, intercludendo viam qua vir regularis posset in sæculum remeare. Igitur per hanc periodum securior simul et rigidior facta est regularis disciplina.

4° Ad hanc temporis periodum reperimus completam ordinum *exemptionem* a potestate episcopali. Namque, prima periodo, familiæ monachorum omnino subjacebantur diœcesani episcopi auctoritati, tanquam laicalia sodalitia intra diœcesim instituta. Initio secundæ periodi, initia etiam trita sunt cujusdam exemptionis regularium, nempe ab ætate Gregorii magni.

Sed non fuit illa completa exemptio, sed potius quædam limitatio potestatis episcopalis quoad monachos ; non fuerunt subtracti regulares ab obedientia episcoporum, sed potius definita sunt capita in quibus regulares episcopis subjicerentur, vel non. Unde celebris illa distinctio inter *legem diœcesanam* et *legem jurisdictionis.*

At sub fine periodi antecedentis, potissimum vero occasione reformationis Cluniacensis, hujus exemptionis jura ampliari cœperunt, siquidem cum per reformationem Cluniacensem familiæ monachorum, familiis etiam monachorum conjunctæ, generalem constituerunt ordinem sub abbate generali. Quemadmodum illorum congregatio excedebat limites unius aut alterius diœceseos, ita ab unius aut alterius auctoritate episcopi substrahi cœpit, et peculiariter Romani Pontificis auctoritati commendari.

Sed illa exemptio, quæ sic cœperat introduci, per ordines mendicantes completa evasit; siquidem hi ordines ab incunabulis suis fuerant ab episcoporum jurisdictione substracti et immediate Romano Pontifici subjecti. Unde factum est quod abbates seu superiores ordinum regularium non tantum habuerint in subditos suos quamdam propriam potestatem, sed illorum auctoritas facta fuerit jurisdictio quasi episcopalis, siquidem episcoporum loco fuerunt erga subditos suos, hac tantum servata differentia, quod Romani Pontificis nomine jus dicerent.

Quapropter relationes juridicæ inter familias regulares et diœceses immutatæ sunt, nec amplius familia regularis in ordine ad diœcesim considerata est tanquam sodalitium diœcesanum, seu societas imperfecta intra diœcesim instituta, sed potius tanquam diœcesis in ordine ad diœcesim, siquidem ordines monastici,

servata debita subjectione primæ sedi, considerari potuerunt tanquam societates perfectæ quæ sua gauderent propria auctoritate, suis peculiaribus regerentur legibus, id omne haberent quod pro sui existentia et perpetuitate foret necessarium.

5° Demum *monastica hierarchia perfecta* evasit. Prima periodo, singulæ monachorum familiæ sub præposito suo locali seu abbate peculiari constitutæ sunt; propterea familia monastica non habebat nisi unum hierarchiæ gradum, videlicet abbatem seu patrem illius familiæ. Secunda autem periodo, hæc hierarchia perfectior evasit, scilicet post reformationem Cluniacensem et Cisterciensem : illi introduxerunt *abbatem generalem*, ipsi *capita generalia* omnium abbatum localium.

Inde hierarchia monasteriorum habuit duos gradus : infimum et supremum. Nullus adhuc erat institutus intermedius auctoritatis gradus, qui originem habuit epocha præsenti, videlicet institutione fratrum mendicantium. Hujusmodi ordines, propter latissimam eorum diffusionem, præter præpositum localem et præpositum generalem, habuere *præpositum provincialem*. Sic Franciscani habuere suum magistrum generalem, suos provinciales, suosque, ut dicunt, guardianos; prædicatores, suum magistrum generalem, etc.; Augustianani et Carmelitæ, suum priorem generalem, etc. Sic et apud monachos fuerunt abbates generales, abbates monasteriorum et priores claustrales. Sic et introducta sunt capita provincialia, servata analogia quæ habetur in Ecclesia inter ordinarios et collegia clericalia quæ illis assident, etc.

Unde ordo monasticus habuit triplicem hierarchiæ gradum, in ordine tum singularium præpositorum, tum collegiorum, etc. Idem notandum est et in ordi-

nibus militaribus, in quibus sub Magno Magistro habebantur priores et ballivi, etc.

Votorum et quidem *solemnium austeritas,* plenissimæ paupertatis studium, operositas et activitas caritatis christianæ tres fuerunt notæ characteristicæ institutorum regularium tertiæ periodi. Restat ut videamus cujus utilitatis fuerunt pro christiana republica, etc.

De utilitate vitæ regularis pro christiana republica.

XIX. Votorum et quidem solemnium austeritas, dum ex una parte reficiebat collapsam regularem disciplinam, ex alia sæculum provocabat ad virtutes illas unde omnino defecerat. Et cum mollities, luxus, ambitio non tantum laicos viros, sed etiam clericos per ætatem illam non parum infecissent, inde talia proponebantur cujusvis generis instituta, quibus omnes ad perfectiorem vitam possint incitari :

1° Clericis præfulgebat institutum canonicorum regularium, tanquam vivendi exemplar clericatus perpetuum ; laicis institutum ordinum equestrium tanquam exemplar virtutum quæ cum laicali statu poterant consociari ; omnibus institutum mendicantium tanquam exemplar evangelicæ perfectionis cuilibet statui applicandæ; et quadam gradatione incipiebant primo instituta clericorum regularium, deinde instituta mendicantium, ut primo clerici, deinde laici per gradus ascendentes perfectionis ad meliorem frugem revocarentur. Sed quemadmodum vitium ætatis illius in fastu et præpotenti decoratu præcipue consistebat, ita summum paupertatis et humilitatis studium quod promovebant ordines mendicantium, visum est præcipuum virtutis exemplar vitiis hujus ætatis peculiari modo contrapositum.

Quod et ipsis hæreticis haud intentatum novimus ;

siquidem, ut melius ac facilius simplices deciperent, paupertatem humilitatemque et ipsi simulare visi sunt, ut de Valdensibus, de Fratricellis, de Catharis, deque Beguinis seu Beguardis comprobatum est.

Ut ergo hypocrisi sectariorum opponeretur exemplum veræ paupertatis veræque humilitatis christianæ, excitabat Deus instituta omnimodæ paupertatis, quæ contraponerent illarum virtutum exemplum fastui et superbiæ singulari illius ætatis. Demum christianæ caritatis activitas seu actio quam ordines regulares, per illam ætatem professi sunt, omnibus horum temporum necessitatibus et occurrentiis satisfecit.

2° Sic per armatam militiam ordinum equestrium, spiritu bellicoso virorum ætatis illius qui quotidie fraterna cæde arma cruentabant, utebatur in hostes communes, Saracenos nempe seu Turcas, qui ordini religioso vel politico totius Europæ imminebant. Sic dum servandæ caritati inter christianos et concives consulebatur, communes hostes propellebantur. Simul per hæc instituta militaria, christiana humilitate et mansuetudine equitum alii imbuebantur; siquidem non parvum erat humilitatis exemplar, præsertim ætate illa, videre equites qui fastum et superbiam deponerent ut, in hospitalibus domibus, pauperibus et infirmis, inimicis etiam suis aliquando deservirent.

3° Quod armis contendebant ordines militares, id inermes contendebant ordines Redemptoris. Imo illorum ministerium, non tantum pro christianorum libertate, sed etiam pro infidelium conversione directum videtur, quum quidem Turcæ etiam tanto caritatis exemplo aliquando mansuescerent. Demum et actio ordinum mendicantium clericorum defectui non parum supplevit, et profligando hæreses, prouti præsertim fratres prædicatores, et administrando sacra-

menta præsertim pœnitentiæ, sicut fratres minores, scientiæ augmentum procurando, etc.

IVa. Periodus vitæ regularis.

XX. Quartam vitæ claustralis periodum occupant fere universa instituta *clericorum* quos *regulares* vocamus; id est, illorum qui nuncupatis votis sub communi regula communibusque superioribus vitam agunt. Nam si præscindamus a singularibus quibusdam institutionibus quæ veluti exceptiones regulæ possunt considerari, instituta quæ ordinarie a sæculo XVI° ad nos fundata sunt, fuerunt omnia clericorum regularium. Harum institutionum auctor fuit Cajetanus Thianæus, qui una cum Joanne Petro Carafa, episcopo Theatino (postea Paulo IV P. M.), ordinem clericorum instituit qui *Theatini* dicti fuerunt. Isti a Clemente VIII°, anno 1514, approbati sunt, deinde a sancto Pio V confirmati.

Hos secuti sunt clerici regulares sancti Pauli, quos ab Ecclesia Mediolanensi sancti Barnabæ, eis primum concessa, *Barnabitas* vocant. Auctores hujus ordinis fuerunt tres nobiles viri Antonius Morigia, Bartholomæus Ferrarius, Ant. Zaccaria Mediolanensis : anno 1528 approbati sunt, et 1535 confirmati.

Hos secuti sunt *Somaschi*, circa annum 1531, qui a Somasca, parvo oppido inter Mediolanum et Bergamum, ubi primum a sancto Hieronymo Emiliano fuerunt instituti, nomen sortiti sunt. Hunc ordinem Paulus III (1540) approbavit, quem deinde Sixtus V confirmavit.

Post hos secuti sunt alii clerici regulares, qui dicti sunt *societatis Jesu*, qui anno 1534 Parisiis, a sancto Ignatio Loyola Cantabro instituti et a Paulo III° (150-43) approbati sunt.

Dein et aliæ plures congregationes secutæ sunt : *doc-*

trinæ christianæ, *ministrorum infirmorum* (1585), *scholarum piarum*, *clericorum minorum*, ab Aug. Adorno et F. Caracciolo institutorum 1588; presbyterorum *congregationis missionis* a sancto Vincentio a Paulo, etc.

Præter hujusmodi congregationes quæ stricto sensu regulares dici possunt, sunt et aliæ, quæ dici possunt quasi regulares. Sunt enim potius convictus clericorum secularium quam clericorum qui alicui regulæ sedicent, sicut presbyteri *congregationis Oratorii*, Romæ 1575, a sancto Philippo Nerio instituti.

XXI. 1° Instituta regularia hujus periodi profitentur vitam clericalem, non quidem tanquam accessoriam, sicuti secunda periodo, nec tanquam comprincipalem, sicuti in 3ª, sed tanquam principaliorem. Nam clerici regulares sunt principalius clerici quam regulares; et concipitur potius regulam accessisse clericatui quam clericatum regulæ consociatum fuisse. Isti primum imitantur capita canonicorum regularium, quæ pariter principalius vitam clericalem quam regularem professa sunt. In eo vero discrepant ab illis quod non sint addicti choro unius vel alterius peculiaris ecclesiæ; sed profitentur vitam ambulatoriam ad instar mendicantium, et excrescunt in magnas familias quæ interius reguntur et sunt dispositæ ad instar eorumdem.

2° Per hanc periodum temperata videtur austeritas quam per se tulerunt ordines regulares periodo antecedenti, tum in ordine ad vota, tum præsertim in ordine ad paupertatem. Nam ad primum quod spectat, fere exsoleverunt ab hisce recentioribus institutis vota solemnia. Nam, si præscindamus a nonnullis familiis clericorum regularium in quibus hæc vota, sed tantum post diuturnam probationem, emittuntur, habentur vota mere simplicia. Nec tantum vota simplicia, sed aliquando hæc ipsa vota simplicia emittuntur cum aliqua

restrictione, ut, v. g., spondeant obedientiam, paupertatem, sed sub data quadam limitatione. Imo aliquando nec emittuntur tria vota simplicia, sed simplex votum perseverantiæ, id est, non deserendi institutum, nisi ab instituto dimittantur; imo aliquando hanc perseverantiam non ad perpetuum, sed ad tempus determinatum; aliquando vero nullum omnino votum, prout accidit in congregatione Oratorii, ubi conviventes sunt potius clerici seculares quam regulares.

Quoad paupertatem, non solum hujusmodi recentiora instituta professa non sunt paupertatem in communi servandam, adeo ut ex mendicata stipe alerentur, sed et ipsa instituta religiosa quæ tanquam mendicantia fuerunt approbata periodo antecedenti, per hanc periodum mendicantem vitam dimisere, siquidem, sic disponente concilio Tridentino, sess. 25, de Ref., cap. 3°, omnibus religiosis institutis licuit in communi possidere, exceptis tamen familiis Cappucinorum et Minorum de observantia, quibus institutis, recentioribus constitutionibus, accessit et domus professa societatis Jesu.

Cæteræ omnes familiæ regulares etiam mendicantes potuerunt habere et recipere temporalium bonorum dominium. Nec solum elanguit paupertas servanda in communi, sec etiam in individuo; non tantum permissum est ut ipsa familia possit habere dominium in communi bonorum temporalium, sed etiam in pluribus religionibus permissum est ut possint habere aliquod peculium, quod vulgo *livellum* nuncupatur. Sic imminuta et paupertate, consequens fuit ut etiam vestes, habitus, incessus horum recentiorum institutorum cultior et honestior evaserit; et sicuti clericalem vitam principalius professi sunt, sic et clericalem vestem imitari visa sunt.

3° Quemadmodum aucto rigore interno familiarum regularium, tertia periodo, augebatur exemptio ad extra, ita ratione inversa, eadem proportione qua emollita est austeritas interna familiarum regularium et externa exemptio fuit imminuta. Unde sess. 5, 6, 7, 14, 16, 22 concilii Tridentini, plures fuerunt concessæ facultates episcopis supra regulares, adeo ut non tantum regulares episcopis forent subjecti tanquam clerici, vel pro contactu quem habebant cum diœcesanis (quod semper obtinuit), sed etiam tanquam regulares subjicerentur episcopo, non tanquam episcopo, sed tanquam delegato apostolicæ sedis, servato sic principio exemptionis.

Nec solum ita imminuta est exemptio, sed etiam jure definitus est numerus qui necessarius est in conventibus regularium, in Italia et in insulis adjacentibus, ut regulares possent aliqua gaudere exemptione. Qui nunc autem sit hic numerus, deduci potest ex constitutione *Ut in pactis*: ut monasteria possent alere ad minus sex religiosos, quorum quatuor sint sacerdotes. Si recentioris institutionis sint, debent duodecim habere religiosos, quorum octo sacerdotes sint.

De utilitatibus quas hujusmodi vicissitudines in Ecclesiam contulerunt.

XXII. 1° Mitigatus rigor regularis disciplinæ, dum ex una parte consuluit scandalis quæ oriebantur quum languesceret spiritus primitivæ fundationis (austeritas in detrimentum potius quam in bonum vertebat disciplinæ regularis), ex alia abstulit societati eam physionomiam austeram paupertatis, quæ velut inaccessibilis humano gressui videbatur.

Insuper per eam occursum est naribus delicatis sæ-

culi nostri, ne videlicet nauseam posset opponere incivili et pauperi incessui mendicantium, qui alteri ætati venerationi fuerat.

2° Cæca obedientia Jesuitarum videtur fuisse virtus speciali modo contraposita vitio dominanti ætatis nostræ, insubordinationi videlicet rebellionique, quæ primo contra ecclesiasticam auctoritatem a Luthero excitata, deinde in civili ordine obtinuit. Insuper peculiare studium quod confutandis novitatis erroribus hic ordo ex instituto suscepit, maximam Ecclesiæ attulit utilitatem, ut tanquam præcipuus hæreticorum malleus hic ordo habitus est. Unde hic præclarus ordo tum ob doctrinæ culturam, tum ob virtutum, maxime obedientiæ professionem, videtur institutus contra vitia præsentis sæculi.

3° Operosa caritas sancti Vincentii a Paulo et institutorum quæ ex illo primitivo in dies propagata sunt et propagantur, dum ex una parte occurrit sæculi querelis, quæ contemplativam vitam tanquam inutilem et otiosam calumniantur, ex alia contraponunt caritatem christianam frigidæ sæculi philanthropiæ, quæ tantam se extulit.

APPENDIX.

DE VITA REGULARI IN ORDINE AD FEMINAS.

I. Quemadmodum ex utroque sexu Ecclesia christiana constituitur, sic et utrique sexui evangelica consilia proposita habentur.

Regularia instituta, pro sexu feminino considerata, fuerunt omnino analoga institutis quæ pro sexu virili vigebant, analogæ quoque vicissitudines. Scimus pios religionum fundatores regulam quam scripserunt pro viris, feminis applicasse, vel ipsorum pias sorores, vel

alias feminas de illorum ductu, suasione et consilio, femineo sexui applicasse instituta quæ illi pro viris proposuerant, aut illorum imitatione novos ordines instituisse, aut veteres reformasse.

Jam tunc in primæva periodo vitæ regularis, sub sororibus Antonii et Pacomii, reperimus monasteria sanctimonialium quæ voce egyptiaca *nonnæ* dicta sunt. In secunda, Scolastica S. Benedicti soror traducebat ad feminas institutum benedictinum. Ita in tertia, opera S^tæ^ Claræ Assisinatensis, instituta mendicantia fuerunt feminis applicata. Demum, ut de aliis taceamus quæ aliquo modo ad feminas etiam traducta sunt, in ultima periodo Angela Brixiensis instituebat ordinem Ursulinarum, qui per activam quam profitebatur vitæ institutionem, clericorum regularium mores imitatus est. Sic etiam sicuti blandior secuta est disciplina regularis pro viris, ita et pro feminis plus minus idem obtinuit.

II. Sed adsunt quædam differentiæ propriæ et singulares quæ mulierum consortia a virorum institutis perpetuo distinxerunt :

1° Vita heremitica pro virili sexu suscepta ad imbecillem sexum rarissime traducta est ; unde vita regularis pro feminis fuit ordinario cœnobitica, non heremitica. Et antequam cœnobia fundarent, virginitatem, quam Deo voverant, potius domi quam in deserto servabant.

2° Vita activa non nisi sero et in hac ultima periodo traducta est ad feminas, primo ab ipsa Angela Brixiensi, et secundo a sancto Vincentio a Paulo, etc.

3° Clericatus virorum proprius non potuit ad feminas traduci. Unde ad instar primitivorum monachorum indiguerunt clerico qui eis sacra faceret. Verum et ipsæ quoad potuerunt, clericatum monachorum imitatæ sunt ; quapropter familiæ monialium distinctæ

sunt in matres et sorores conversas, quarum illæ ad officia chori deputatæ sunt, istæ vero ad humiliora servitia.

4° Sicut et clericatus, ita, non vero in stricto sensu accepta, jurisdictio ecclesiastica accessit feminarum monasteriis : 1° abbatissæ consideratæ fuerunt tanquam matres familiæ regularis, nunquam tanquam veræ gubernatrices; 2° ex hac re factum est ut non ea exemptione gaudere potuerint qua virorum consortia dotata sunt; cum sufficienti auctoritate non instruerentur intrinsecus, oportuit ut ab extrinseco validior accederet gubernativa directio. Nec ordinarie sic immediate Romano P. sunt constricta ut hac servata constrictione de cætero per se regi viderentur. Unde vel subsunt omnino ordinariæ episcopi jurisdictioni, vel superioribus regularibus sui ordinis, non sine episcopi interventu, — vel tandem si extra ordinem immediate Romano Pontifici subderentur, tunc episcopus delegato nomine in iis præstat plus minus omnia ea quæ secus præstaret nomine suo.

5° Aggregatio plurium monasteriorum in unum ordinem sub una obedientia generali, quando invaluit apud virorum regularium instituta, ad feminas perducta non est, sive quia tantæ sustinendæ aggregationis impar imbellis sexus videbatur, sive quia vita pure contemplativa quam instituta feminarum amplexa sunt, hujusmodi aggregationem inutilem redderet.

Accedit et clausuræ lex, quæ sive pro custodia castitatis, sive pro vitandis sæculi evagationibus, speciali modo in femineis institutis servanda habetur. Namque clausura, in quantum prohibens ingressum personarum alterius sexus, in monasteriis regularium fuit res connaturalis religiosis institutis. Sed prouti hæc lex non impediebat quominus personæ ejusdem

sexus aliquando in monasteria virorum admitterentur, vel religiosis de septis monasterii aliquando exirent, sic non fuit omni tempore absolute interdictum feminis regularibus quominus vel alias feminas in monasterio ingredi facerent, vel ipsæ possent e monasterio exire.

Sed sub finem sæculi XIII, quum in majorem rigorem pergebat regularis disciplina, constitutione Bonifacii VIII *De statu regula.*, *in* VI°, absolute interdictum est ne cuilibet in monasteriis feminarum liceret ingressus, ne cuilibet monasterii pateret egressus, nisi rationabili de causa a legitimo superiore approbata. Inde vita regularis, in sexu femineo considerata, absolutam clausuram secum tulit, quæ severe custodita est quousque aliqua actio vitæ regularis non accessit.

Sed prosequentes vitam activam ordines monialium egressi sunt, et inde aliquæ dispensationes concessæ fuerunt. Sic, e. g., habent Ursulinæ conservatoria in quibus admittunt seculares puellas ; sic et filiæ caritatis a S. Vincentio a Paulo institutæ, omnibus exterioribus vitæ activæ operibus addictæ habentur, etc.

INDEX

PRIMI VOLUMINIS.

PROLEGOMENA.

PARS PRIMA

SEU

LOGICA SPECIALIS JURIS CANONICI.

LIBER PRIMUS.

DE FONTIBUS JURIS CANONICI, SEU DE LEGIBUS.

SECTIO PRIMA.

DE LEGIS QUALITATE.

CAPUT PRIMUM.

APPENDIX AD CAPUT PRIMUM.

* DE FORMA REGIMINIS ECCLESIÆ.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

DE VARIIS SPECIEBUS LEGUM ECCLESIASTICARUM.

CAPUT V.

CAPUT VI.

SECTIO SECUNDA.

DE COLLECTIONIBUS LEGUM ECCLESIASTICARUM.

CAPUT PRIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

ARTICULUS II.

ARTICULUS III.

CAPUT II.

ARTICULUS PRIMUS.

ARTICULUS II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

DE CORPORE JURIS CANONICI.

LIBER SECUNDUS.

DE RECTA SACRORUM CANONUM INTERPRETATIONE.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT II.

ARTICULUS PRIMUS.

ARTICULUS II.

CAPUT III.

ARTICULUS PRIMUS.

CAPUT IV.

DE SCHOLASTICA METHODO INTERPRETATIONIS DOCTRINALIS SACRORUM CANONUM.

CAPUT V.

PARS ALTERA.

DE OBJECTO JURIS CANONICI

SEU

DE JURIBUS ET OFFICIIS CHRISTIANORUM.

LIBER PRIMUS.

SECTIO PRIMA.

TITULUS PRIMUS.

DISSERTATIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT II.

CAPUT III.

ARTICULUS PRIMUS.

De gradibus qui episcopi vicariatum gerunt.

ARTICULUS II.

De hierarchia jurisdictionis in collegiis.

DISSERTATIO II.

CAPUT PRIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

ARTICULUS II.

TITULUS II.

CAPUT PRIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

ARTICULUS II.

ARTICULUS III.

CAPUT II.

TITULUS III.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT II.

ARTICULUS PRIMUS.

ARTICULUS II.

APPENDIX.

FINIS INDICIS ET PRIMI VOLUMINIS.

Poitiers.—Typ A. Dupré.